


















DE


TRISTIBUS OVIDII RECENSENDIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
ANTE DIEM QVARTUM IDUS NOVEMBRES
H. IV.
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRANCISKVS TANK
POMERANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
R. GAEDE, CAND. PHIL.
G. KNAACK, SEN. SEM. REG. PHIL.
R. KLOTZ, SEM. REG. PHIL. SOD. ORD.

STETTINI
TYPIS HERRCKE & LEBELING.
MDCCCLXXIX.


HARVARD COLLEGE
AUG 3 1896
LIBRARY.

ADOLFO · KIESSLING

VDALRICO · DE · WILAMOWITZ — MOELLENDORFF.

Codicum omnium, quotquot **Tristia Ovidiana** complectuntur, optimum esse Palatinum I. post praeclaras Merkelii a. MDCCCXXXVII curas eorum, qui hisce carminibus et emendandis et interpretandis operam dederunt, usque ad hos nostros fere annos nemo non persuasum habuit.

Contra quidem pugnavit Loersius,[1]) non omni ex parte iniuria, sed frustra, quod non mirum esse nemo negabit, nisi si quis omnibus codicibus, licet diversissimi sint, et diversissimos esse Pal. I et Guelferbytanum statim videbimus, eandem tribuendam esse auctoritatem sibi persuaserit.

Ne id quidem, quod Merkelius ipse aliquanto a sententia sua recedit, quin etiam novam veterrimi alius optimique codicis fide castigatam editionem[2]) promisit, Pal. I fidem labefactavit,[3]) praesertim cum codicis Laurentiani — is enim vetus ille codex est — exigua tantum parte uti potuisset, scripturas communicasset fere nullas.

Viginti denique annis post Riesius accepta integra illius libri collatione illam quam Merkelius promiserat Tristium recensionem promulgavit.

Neque tamen rem mihi videtur absolvisse Merkelii illa, opinor, de Pal. I fide sententia in errorem inductus.

Codicis enim a duobus librariis diverso tempore scripti etsi altera[4]) pars iis, quibus totum librum ornat, laudibus digna est, altera[5]) tamen, quam omni vitiorum genere

[1]) Ovid. Trist. l. V p. XXII sqq. Ephem. litt. Halens. 1838 p. 121—123.

[2]) cf. praef. ed. Teubn. p. III.

[3]) cf. Binsfeld quaest. Ovid. crit. Bonn 1853 p. 6; Madvigii advers. crit. II p. 96 sqq.

[4]) mihi audit L^a.

[5]) mihi est L^b.

foedissime inquinatam esse III. huius disputatiunculae capite demonstrabo, plane abiicienda est.

Quod ut probem,

I. de externa codicis Laurentiani specie, qua recte describenda ea quae postea docebo haud leve capient adiumentum, pauca praefatus,

II. librum illum e duabus prorsus diversi generis partibus constare et alteram quidem (L^a) cum Guelf., Vat. I, cum Pal. I, Goth. alteram (L^b) conspirare ostendam;

III. deinde utri fides habenda sit diiudicare simulque quibusnam codicibus in reliquis horum carminum partibus uti debeamus evincere,

IV. ultimo denique capite quae eorum codicum, qui cum L^a, omnium, ut videbimus, optimo, faciunt, auctoritas sit ostendere studebo.

I.

Codex olim Marcianus 223,[6]) nunc Laurentianus e duabus partibus constat.

Ac prior quidem 55 foliis, quorum 1, 2, 9, 10, 11, 13, 14 a recentiore manu suppleta sunt, primum continet Metamorphoses cum glossis et notis marginalibus, deinde in ultimae paginae columnis quattuor minutissimis litteris a duabus aliis manibus scripta Nucem et libellum de medicamine faciei femineae. codicem hic olim habuisse finem litterae satis corrosae testes sunt.

Alterius partis folia quindecim (56—70) Tristia complectuntur a diversis librariis diversis temporibus scripta. et media quidem pars (L^a) — folia 58—65 — quae continet versus, qui leguntur inde ab I, 5, 11—III, 7, 1 et IV, 1, 12—IV, 7, 5 veterrimi cuiusdam codicis saeculo fere undecimo scripti quaternio[7]) est numero XVII[8]) insignitus. „reliqua (L^b)

---

[6]) Talis erat cum inscribebatur fol. I:
liber conventus scti Marci de Fla. ordinis praedicatorum
illatus (?) a fre Georgio Vespucio filio nativo 1499.

[7]) Antea fuit quinio, nam cum versuum, qui exciderunt (III, 7, 2 — IV, 1, 11) numerus sit 426, unoquoque autem folio 213—216 versus com-

exceptis versibus illis, qui leguntur inde a III, 7, 2—IV, 1, 12 *ab altera manu, quae eadem per veteris codicis reliquias incredibili impudentia grassata est, saeculo XIV suppleta sunt.*[8])

Collationibus maxima ex parte usus sum iis, quas Riesius promulgavit a Wilmannsio, Kiesslingio, Keilio, Dütschkio factas. praeterea autem feliciter accidit, ut alterius mihi copia fieret collationis, etsi non totius codicis, attamen veteris illius quaternionis, Udalrici de Wilamowitz-Möllendorff, praeceptoris venerandi, cuius beneficio etiam ea, quae supra de externa huius codicis specie attuli, me accepisse grato animo commemoro.

Nihilo minus haud ita pauci exstant loci, in quibus cum quid in codice scriptum sit, tum a quonam librario scriptum sit, dubitari potest, praesertim cum qui codicem contulerunt haud semel, et saepius quidem in discernendis correctorum manibus, id quod nemo mirabitur, dissentiant.

A). de cod. L^a.

In exarando L^a., ad quem accuratius describendum iam accedo, librarius incredibili quadam socordia usus est.

Persaepe enim, ne leviora moneam, genuina voce e loco remota aliam aut ex antecedentibus aut ex sequentibus versibus in textum recepit sen-

---

prehendantur, lacunam fortuito factam esse necdum in codice archetypo fuisse patet. eademque folia novissime demum perisse ex eo concludi debet, quod versus, qui illis comprehenduntur, ne a recentiore quidem illa, quae cetera addidit, manu suppleti sunt.

[8]) E numero XVII integer quid continuerit liber concludere licet. totus enim codex si, quod verisimillimum est, eodem modo atque qui nobis servatus est quaternio scriptus erat neque aliorum praeterea scriptorum carmina comprehendebat, sedecim qui antecedebant quaterniones 16×107×16=27392 (si quiniones fuerunt vel 34240) versus continebant, sc. omnia Ovidii carmina (si Nucem addis 27062 vv.) exceptis quae post Tristia collocata fuisse opinor, Ibide et Epistolis ex Ponto.

[9]) Liber Nucis ed. Udalr. de Wilamowitz—Moellendorff, ex commentationibus philologis in honorem Th. Mommseni seorsum expr. p. 4.

tentiam plane neglegens. huiusmodi sunt: *inter* (pro *totis* I, 5, 61); *clario* (pro *Coo*, e versu superiore I, 6, 2); *mihi* (pr. *pede*, ex eodem vers. I, 10, 23); *parsq*; (pr. *parva*, ex eod. vers. II 58); *et vulnera* (pr. *sub duce*, e vers. sup. II 320.); v. 359 in L^a^. sic legitur:

Accius ecce (pr. esset) atrox operum ē Terrencius esset.

operum ē, quod genuinum *convivam* eliminavit, e versu 355 in hunc locum translatum est.

Haec exempla sufficiant, talia enim cumulare non attinet.

Aliud socordiae testimonium, ut singulorum verborum traiectiones in omnibus fere libris saepissime repertas omittam, versus sunt in falsum locum translati velut I, 7, 15 et 16:

Haec ego discedens, sicut bene multa meorum,
Ipse mea posui maestus in igne manu.

post v. 19:

Sic ego non meritos mecum peritura libellos

et III, 4, 78:

Contacti simili sorte rogetis idem

teste Keilio (secundum Wil. hic versus omissus est) ante v. 77:

Prospera sic maneat vobis fortuna nec unquam

inserti.

Gravissime denique incuriae eum accusant versus circiter XXX omissi[10]) scil. I, 6, 34 (Ries. nihil annot.); I, 8, 33; I, 10, 11; I, 11, 21 (Ries. nihil annot); II, 1 (secundum Ries. etiam vers. 2 et 3. Wil. nihil annot.); 56;

[10]) Socordia librarium hos versus omisisse dico, ne quis suspicetur disticha, quorum aut alter aut uterque versus desit, spuria esse neque in codice archetypo exstitisse. refutatur hoc cum codicibus L^a^ simillimis, a patruo, opinor, oriundis, de quibus postea disputaturus sum, tum ipsis versibus a librario pessime neglectis, quorum etsi complures virorum doctorum suspicionem moverunt, velut III, 4, 73—74. (Heinsio suspecti fuerunt):

‚Scite tamen, quamvis longa regione remotus
Absim, vos animo semper adesse meo.

quibus sententiarum nexum misere corrumpi non est quod longius doceam, plurimi tamen deesse omnino non possunt, reliquis aegre tantum careremus.

162 (sec. Ries. altera tantum vers. pars: ‚*te nullo coniuge digna fuit* deest.); 250—254 (sec. Ries. 250—255); 286; 388; 560 (sec. Ries. — Wil. nihil not.); III, 1, 1—2; 1, 30 (ap. Ries. nihil inveni); 1, 63; 1, 80; 3, 3—4; 3, 86; 4, 52—3; 4, 73 (tribus tantum exceptis litteris: *sci.*); 4, 78 (sec. Ries. 78 ante 77); 5, 52; IV, 2, 24 (excepta fortasse prima littera *T*); IV, 2, 72; IV, 3, 49—50 (Ries. nihil annot.); IV, 3, 52; IV, 4, 62 (prima tant. excepta littera. Ries. n. annot.). quorum versuum maior pars a secunda vel tertia manu in margine addita est[11]).

Haec igitur et alia, de quibus alio loco disputare magis in rem esse duco, librarii socordiae imputare non dubito.

Quae quamvis, ut modo vidimus, maxima sit, maior tamen est linguae latinae inscientia.

Pauca afferre sufficiat: I, 9, 41 Ovidius ad amicum scribit:

Hoc eventurum iam tum, carrissime, vidi,
Ferret adhuc istam cum minor aura ratem.
Sive aliquod morum seu vitae labe carentis
Est pretium, nemo pluris emendus erit;
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes . . .
Quaelibet eloquio fit bona causa tuo.
His ego commotus dixi tibi protinus ipsi:
Scena manet dotes gaudia sentit avis.

egregie sane et magna cum festivitate sic coniecit librarius L[a]. genuinum in reliquis codicibus et in L[a] ipso cum t (= vel) additum legitur: *grandis amice tuas.* cf. praet. II, 88: *et stultus* pro *est vultus;* 133: *inventus vermis* pr. *invectus verbis;* 310: *ventis* pr. *veneris;* 333: *iocus* pr. *iovis;* 335: *debitis ingenium* pr. *divitis ingenii;* alia, quae soli socordiae assignanda esse librarii vix credibile est.

Quorum vitiorum multitudine etsi quid in codice archetypo fuerit persaepe obscuratur, id tamen discimus librarium omnino nihil immutare potuisse, nisi

---

11) Non suppleti sunt vv. II, 162; III, 1, 80; III, 3, 3—4; III, 3, 86; III, 4, 52 et 53; III, 5 52.

quod statim ab illo immutatum esse intellegamus. et, quod pergratum est,

ex iisdem illis vitiis discimus, quae codicis archetypi fuerit condicio. quod cum haud exigui momenti sit paulo diligentius ostendam.

Ac primum quidem innumeri errores male disiunctis litteris orti codicem archetypum verbis nondum segregatis scriptum fuisse docent:

I, 9, 33 *turnere lata* — *Turne relata;*
— 10, 13 *vastis et hostia* — *vasti secet ostia*;
— — 41 *miletidas hos perat urbem* —
Miletida sospes ad urbem;
II, 137 *qui pere legatus* — *quippe relegatus;*
— 215 *sublimet uenti* — *sublime tuenti;*
— 313 *nostrari mia* — *nostra nimia;*
— 327 *arguerim merito* — *arguor immerito;*
— 429 *vulgavita mores* — *vulgavit amores;*
— 436 *et levior nifici* — *et leve Cornifici;*
— 492 *quaedam non ulli* — *quae damno nulli;*
— 566 *venena tulit* *τra* (= *terra*) — *venenato littera.*

(cf. I, 5, 52. I, 9, 42. I, 10, 37. I, 11, 38. alia.)

Eundemque litteris minusculis exaratum fuisse certum est; litterarum enim maiuscularum in tanta corruptelarum mole vix ullum apparet vestigium.

Praeterea cod. archetypi litteras tum, cum L[a] ex eo transscriptus est, permultis locis valde obscuratas evanidasque fuisse

cum ex coniecturis apparet velut I, 5, 15: *sistu* (R. *si sui*) pro *et opis;* 16 *dique deeque* — *dissimilemque;* 25: *salvum* — *fulvum;* I, 11, 16: *hyaseris* — *Hyadas seris;* II, 30: *quod eo* — *adeo;* 31: *concipere* — *concedere;* 146: *properante* — *prohibente;* 435: *canaque procanacior* — *Cinnaque procatior* . . . . . .

tum ex spatiis a prim. m. saepissime relictis, a sec. plerumque sed non semper expletis, vel. I, 5, 37: deerat *fuso* (*faso* W.); I, 6, 27 *adsuetu*(dine); I, 8, 50: *queror;* II, 167: *tuis idus;* II, 252: *vittaque;* II, 338: *nefas* etc.

Nullo autem loco lacunae illae frequentius inveniuntur quam in finibus versuum (desunt e. g. I, 5, 29: *ulli; II, 69: facta referri;* 73: *ore tuasque;* 156: *amant;* 339: *veni;* III, 4, 59: *est;* III, 5, 23: *oris* . . . . .) eorumque locorum, in quibus secunda vel tertia manus id quod deerat supplevit, numerus multo maior est quam alibi (in IV. libri reliquiis 22 numeravi locos).

Praeterea etiam coniecturas, si tales ineptias sic nominare licet, insulsissimas multo saepius hic quam in aliis versuum partibus apparere vix est quod moneam. cf. tamen II, 65: *pignoris* pro *nominis;* 66: *cara tui* — *multa mei;* 93: *sororum* — *reorum;* 148: *canit* — *cadit;* 174: *gran dius atque tuis* — *grande deosque tuos;* 207: *carmina terram* — *carmen et error;* 287: *auret* — *vitet*; I, 11, 31: *adethera penne* — *adsueta rapinae.*

Hoc denique loco etiam ceterae manus, de quibus ultimo capite pluribus disseram, codicem et radendo et corrigendo et interpolando magis quam alibi laceraverunt. ut brevis sim: codicis marginem mutilum fuisse constat.

B) de codice L^b.

Codex L^b etsi ab hisce vitiis non omnino liber tamen satis emendate scriptus est.

Desunt sane versus, sed quinque tantum (V, 5, 2; V, 10, 2; V, 12, 4. et quos alius generis esse vides V, 7, 43 sq.

Sive locum specto, [locus est inamabilis et quo
Esse nihil toto] tristius orbe potest . . .

et V 12, 29 sq: *Me quoque despera, [fuerim cum parvus et ante,*
Illi, qui fueram], posse redire parem.

Desunt etiam verba vel singula vel compluria, sed, cum in codice L^a tanta talium lacunarum multitudo sit, ut eas enumerandi copia plane nobis erepta sit, eae, quas in L^b inveni, tam paucae sunt, ut omnes afferre liceat. sunt hae: *est* omittitur I, 3, 68; IV, 10, 100; 113; V, 1, 34; 5, 45; 14, 25; (7, 28 alius generis est). *que* IV,

7, 15; V, 2, 3; V, 4, 43; V 11, 19. *a* I, 2, 98. *o* V, 9, 37. *id* IV 10, 7. *fuit* V, 2, 36. *sed* V, 2, 78. (*Naso* V, 7, 21 alius generis est). *et* V, 7, 59. *sim* V, 8, 2. *se* V, 9, 25; V, 11, 26. *teneram* V, 12, 27. *et inter* V, 7, 9. *sumere cogit* V, 1, 69.

Deest sane et in fine versuum uno vel altero loco verbum aliquod, sed tam raro, ut codicem archetypum hic mutilum fuisse non liceat asseverare, id quod ea quoque re affirmatur, quod fines versuum aeque emendate ac reliquae partes traditi sunt.

Codicis L^b archetypum litteris nondum segregatis scriptum fuisse nullo haud ambiguo loco probari potest.

Correctoris denique, id quod gravissimum est, apud Riesium[12]) mentionem non inveni.

Externa igitur codicum L^a et L^b species tam diversa est, ut eos ex eodem libro transscriptos esse putare nequeam.

II

Jam ad alterum disputationis locum devenio: ut ostendam codices L^a et L^b etiam prorsus alius generis esse. Quod ut evincam, eam ingrediar viam, ut

primum, id quod brevissime fieri potest, reliquos codices in duas familias segregandos esse demonstrem;

deinde utri familiae L^a,

tertium denique utri L^b annumerandus sit, anquiram.

A

Omnes quotquot habemus codices in duas familias secernendos esse iam Heinsius non ignoravit, probavit Merkelius. nihil igitur hac de re adderem, nisi Merkelius ipse in editionibus Teubnerianis saepius utramque confudisset,

[12]) Codicis L^b scripturas secundum Duetschkii a Riesio promulgatam collationem attuli, qua sola uti poteram. cui etsi Riesius fidem denegat, non tamen adduci possum, ut permulta ab eo aut omissa aut vitiose enotata esse putem, cum in iis partibus, quas cum Wilamowitzii collatione comparare poteram, munere suo satis diligenter functus sit.

et Riesius fere ubique eas inter se pugnare omnino non sensisset. Neque tamen multis exemplis opus est, praesertim cum etiam in reliquis huius capitis paragraphis permulta alia afferre debeam, quae idem demonstrent. Alteram familiam littera A, alteram littera B notabo.

	A	B.
I, 1, 57:	*tu* tamen *i* pro me, *tu* Guelf., Pol. I, Pal. II, VI.	*i* tamen *et* pro me *tu.* Pal. I, Goth., plurimi.
I, 2, 100:	stultaque *non nobis mens* scelerata fuit Guelf., Vat. I, Pal. II, Reg.	st. *mens nobis non* sc. . . Pal. I, Goth., reliqui.
I, 3, 43:	illa etiam ante *aras* Guelf., Vat. I, Leid., Dresd., IV.	ante *lares* Pal. I, Goth., rel.
	passis *adstrata* capillis (hoc in nullo quidem codice exstat, neque tamen dubitari potest, quin corruptelae, quas statim allaturus sum, inde natae sint.)	*prostrata* Pal. I, Berol., alii, vett. edd.
	attacta Vat. I, Goth.	
	a//////cta Guelf.	
	attracta Pal. II, IV; alii similia.	
I, 3, 44:	contigit *aeternos* ore tremente focos Guelf., Vat. I, Pal. II, V.	contigit *exstinctos* Pal. I, Goth., Pol. I, II, reliqui fere omnes.
I, 4, 22:	pareat *aura* deo. Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, XII.	pareat *unda* deo Pal. I, Leid., XXIX, vett. edd.

	A	B
I, 4, 25:	parcite, caerulei, vos *parcite* numina p. Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, Rottend., unus Bonon.	vos *saltem* n. Pal. I, Goth., reliqui fere omnes.
I, 5, 62:	*Sarmatis ora* sinus Guelf., Vat. I, Pol. I. *Sarmaticosque* sinus Pal. II, Put., IV.	*Caesaris ira* sinus Pal. I, Goth., Bern., XVIII.
I, 10, 36:	moenia *tendat* iter Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, V.	moenia *findat* iter Pal. I, Goth., reliq.
II, 147:	mitissime *princeps* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II.	mitissime *Caesar*. Pal. I, Goth., Bern. etc.
II, 373:	flamma *Briseidos* Guelf., Pal. II.	flamma *Chryseidos* Pal. I, Bern., etc. *Criseidos* Goth.
II, 460:	clausas *exscreet* Guelf., pauci Itali (Merk.) sc. Vat. I, Pal. II.	*excubat* Pal. I, X. *excubet* Goth., Bern., plur.
III, 1, 54:	quatitur *rapido* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II.	*trepido* Pal. I, Goth., etc.
III, 4, 20:	occurrit regi *debilis* umbra Guelf,, Vat. I, Pol. I, Pal. II, Bern.	*flebilis* umbra Pal. I, plurimi.
III, 6, 30:	ipse *pudor* Guelf., Vat. I, Pal. II.	ipse *dolor* Pal. I, reliq.
IV, 4, 4:	careat *nervis* Guelf. sub ras., Vat. I, Pol. I, Pal. II etc.	*numeris* Pal. I, Goth., Bern., VI.
IV, 4, 51:	pauloque *propinquius opto* Guelf., Vat. I, Pol. I.	*quietius opto* Pal. I, Goth., XXV. *quietius oro* alii.
V. 1, 18:	*aptior, ingenium come, Tibullus erit.* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, II ignoti.	*et plures, quorum nomina magna vigent* Pal. I, Goth., reliqui omnes.

In duas igitur familias secernendi sunt codices. et alteri quidem (A) annumerandi sunt Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II (Merk. apud Heins. I.)

alteri (B) Pal. I (Merk. apud H. II), Goth., Hamb., quem saepius ab Heinsio laudatum, postea a Longolio excussum denuo repperit Binsfeld[13]), etc.

reliqui modo cum prioribus modo cum posterioribus faciunt nulliusque pretii sunt, quod cum ab omnibus concessum videam, non est cur fusius demonstrem.

B.) De codice L^a.

Utri familiae annumerandus sit L^a ut appareat, graviores quosdam locos afferam, e quibus quid concludendum sit, ipse iudicabis.

	A	L^a	B
2, 8:	iam *demum visa* Guelf., Vat. I[14]) Pal. II.	iam *demi iussa.*	iam *pridem invisa* Pal. I, multi. iam *pridem visa* Goth., Bern., Dresd., Franc., plurimi.
2, 16:	saxa *malum* refero Vat. I, Pol. I, Pal. II, in Guelf. in pessima rasura *meum; malum* a pr. m. scriptum fuisse certum est.	s. *malum* r.	s. *memor* r. Pal. I, plurimi. *laesum* saxa fero Goth.
2, 60:	*audivi* Guelf.	*audivi*	*adiuvi* fere omnes.
2, 109:	*nostra* die Guelf. et q. e. s.	*nostra* die	*namque* die Pal. I, Goth., Franc.

---

13) Quaest. Ovid. crit. p. I Bonn 1853, p. II Colon. 1855.

14) Vaticani I cum integra collatio non exstet, hunc codicem, etsi plerumqne quid in eo scriptum sit e codicibus Guelf., Pal. II etc. apparet, iis tantum locis nominavi, de quorum scriptura Merkelium testem habemus.

	A	L[a]	B
2, 147:	mitissime *princeps* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II.	m. *princeps*	*Caesar* Pal. I, Goth., Bern., Franc. etc.
2, 161:	*com*pleat Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, etiam Goth.	*com*pleat	*im*pleat Pal. I etc.
2, 330:	*obit* Vat. I, Pal. II. *abet* Guelf., ex quo Goth. aliorumque scriptura *habet* exstitit.	*obit*	*agit* Pal. I, Bern., etc.
2, 238:	*te nunquam* Vat. I, Pol. I, Pal. II, in Guelf. *n* a m. rec. eras.	*te numquam*	*umquam te* Pal. I, multi, vett. edd. *numquam te* Bern., V.
2, 261:	*Aeneadum* Guelf. a pr. m., Pal. II, Bern.	*Aeneadum*	*Aeneidem* Pal. I, V. *Aeneaden* Goth.
2, 268:	*com*parat Guelf. *coeperit* Vat. I, Pal. II, XI.	*com*parat	*ap*parat Pal. I, Coth., *at* parat Bern., V.
2, 278:	*ar*rogat Guelf. s. r. etc.	*ar*rogat	*ab*rogat Pal. I, plurimi. *de*rogat Goth., IX. *detrahit* Bern.
2, 304:	*manus* Guelf. etc., etiam Goth.	*manus*	*nurus* Pal. I, Bern., alii.
2, 358:	*feres* Guelf., Vat. I, II. *feret* Pol. I. *fores* Pal. II.	*feres*	*refert* Pal. I, Goth., multi. alii alia velut *dabat*, *dedit*, *tulit*.
2, 373:	*Briseidos* Guelf., Pal. II, II.	*Briseidos*	*Chryseidos* Pal. I, Bern. etc. *Criseidos* Goth.

utque Guelf., Vat. I, Pal. II, IV.	*utque*	*aut quae* Pal. I, Goth., longe plur.
2, 386: *Pisedeam* Guelf. *Pisediam* Pal. II. *Pisidiam* Pol. I, II alii.	*pisedeam*	*Pisaeam* Pal. I etc.
2, 404: *de rate* Guelf., Leid.	*darete*	*qui pede* Pal. I, pauci. *qui rate* Goth. et plurimi, ut videtur.
2, 415: *crimina* matrum Guelf. (in codice tamen archetypo recte scriptum fuisse *semina* glossa docet: *quomodo faciunt abortum*) Leid.	*crimina* m. (e. v. 413 falso repet.)	*semina* Pal. I, Goth etc.
2, 460: *exscrect* Guelf., pauci Itali (Merkel).	*exscret*	*excubat* Pal. I, X. *excubet* Goth., Bern., Franc. etc.
2, 479: ut *male velle sequens* Guelf., Vat. I, IV. ut *mage velle sequens* Pol. I, Pal. II, pauci.	ut *mare velle sequens*	ut *mage velle sequi* Pal. I, Goth. plur.
2, 481: parua *set in ternis* Guelf. *sed internis* Vat. I. *sed interius* Pal. II.	*sed uternis* W. *internis* R.	*sedet ternis* Pal. I, Goth., plur.
2, 492: *quae damno nulli* composuisse *fuit* Guelf., Vat. I, Pal. II, etiam Goth.	*quedam non ulli composuisse fuit.*	*quae iam non ulli* c. *nocet* Pal. I, Bern.
III, 1, 54: *rapido* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, Franc.	*rapido*	*trepido* Pal. I, Goth.

	A	L[a]	B
III, 2, 15:	et *terris* Guelf., Pal. II, Leid. et *ternis* Pol. I.	et *terris*	et *ventis* Pal. I, etc.
III, 3, 35:	reddere *lucem* Vat. I, Leid., in Guelf. rasura est a manu recentissima facta in qua *vitam*. nihilominus certum est etiam in Guelf. fuisse *lucem*.	r. *lucem*	*vitam* Pal. I, reliq.
III, 3, 63:	*Sarmaticas* Guelf., plurimi.	*Sarmaticas*	*Sauromatas* Pal. I, Bern. alii.
III, 4, 20:	*debilis* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, multi.	*debilis*	*flebilis* Pal. I, alii.
III, 4, 75:	et *qua* quisque potest *aliqua* mala Guelf., Vat. I, Pal. II, Rottendorp.	et *qua* q. p. *aliqua*	et *quam* quisque potest *oro* mala Pal. I, Bern., multi.
III, 6, 1:	*nec vis* Guelf. et qui illi similes sunt (Merk.), Bern., Franc.	*nec vis*	*nobis* carissime Pal. I, XI. *non vis* circiter XX.
III, 6, 30;	ipse *pudor* Guelf., Vat. I, Pal. II.	ipse *pudor*	ipse *dolor* Pal. I, reliq.
IV, 1, 21:	*inter nec militis ensem* Guelf., Itali illi, Guelferbytani commilitones (Merkel.) Goth., alii.	*inter nec militis ensem*	*interque treicia tela* Pal. I, alii. *inter treicia tela* Bern.
IV, 1, 80:	fertque *trahitque* Guelf., plurimi.	fertque *trahitque*	fertque *refertque* Pal. I, nonnulli. fertque *refetque* Goth.
IV, 1, 102:	*rogos* Guelf., Pal. II, Franc., Bern. etiam Goth.	*rogos*	*focos* Pal. I, alii.

His exemplis, quae Merkelii et Riesii commentarios paulo diligentius perlustrans permultis aliis nullo negotio augere poteris, id mihi videor effecisse, **cod. L[a] proxime ad similitudinem Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II accedere, a Pal. I, sectatoribus permultis iisdemque gravissimis locis dissentire.**

Gothanus, ut transcursu hoc moneam, etsi proxima cognatione cum Pal. I coniunctus haud raro tamen a L[a]., Guelf., Vat. I parte stat. (cf. quos supra attuli locos II 161; 304; 492; IV, 1, 21; IV, 1, 102; alios, velut

I, 8, 45: reor *urbe* Goth., L[a], Guelf. — reor *esse* Pal. I, alii.
I, 10, 33: *propulsaque* Goth., L[a], Guelf. — *pulsataque* Pal. I, etc.
II, 104: *culpa* mihi Goth., L[a], Guelf. — *causa* mihi Pal. I.
II, 138: *sunt tibi* Goth., Guelf., Vat. I; *sint tibi* L[a]. — Pal. I *sunt data.*
II, 160: *amor* Goth., L[a]., Guelf. — *honor* Pal. I.
III, 1, 40: opaca *comas* Goth., L[a], Guelf. — op. *fores* Pal. I etc.
IV, 3, 29: *cruentum* Goth., L[a], Guelf. — *peremptum* Pal. I cum paucis.
— — 84: area *magna* Goth., L[a], Guelf. — a. *lata* Pal. I alii.

Breviter denique mihi liceat addere errasse Merkelium Angel. Politianum codice L. usum esse coniectantem codex enim Pol. I — nam secundum denotasse Merkelium nemo suspicabitur — licet L[a] simillimus sit, haud raro tamen aliam praebet scripturam velut

II, 239: L[a] vacuum *fortasse.* — Pol. I vac. *tibi forte.*
— 337: L[a] *delectare.* — Pol. I *decrecitare.*
III, 1, 62: L[a] *barbarus* hostis. —. Pol. I *stat ferus* h.
cf. praet. eam, quae sequitur, scripturarum tabulam.

C.) de cod. L[b].

Restat tertium, ut demonstrem utrius generis L[b] sit.

Quam ut solvam quaestionem, eadem qua antea via et ratione utar, ea scil., ut nudas Laurentiani[b], Palatini I, etc. Guelf. etc., scripturas proponam.

	A	Lᵇ	B
I, 1, 5:	velant vaccinia *fuco* Guelf., Vat. I, Pal. II, Hamb.	*succo*	*succo* Pal. I, Goth., plurimi.
I, 1, 57:	*tu* tamen *i* pro me, *tu* Guelf., Pol. I, Pal. II.	*i* tamen *et* pro me	*i* tamen *et* pro me Pal. I, Goth., plurimi.
I, 1, 106:	scrinia *curva* Guelf., Vat. I, pauci.	*parva*	*parva* Pal. I, Goth., Bern., alii.
I, 1, 124:	tardae *viae* Guelf., Vat. I, Pol. I.	*morae*	*morae* Pal. I, Goth. etc.
I, 2, 41:	*di* bene quod non sum Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II.	*o* bene	*o* bene Pal. I, Goth.
I, 2, 100:	stultaque *non nobis mens* Guelt., Vat. I, Pal. II.	stultaque *mens nobis non*	stultaque *mens nobis non* Pal. I etc.
I, 3, 11:	Iovis ignibus *ictus* Guelf. etc. etiam Goth.	*ustus*	*ustus* Pal. I, alii.
I, 3, 35:	clipeum post *vulnera* sumo Guelf. etc. etiam Goth.	*funera*	*funera* Pal. I, V alii.
I, 4, 5:	*increscunt* aequora Guelf., Pal. II, XII. *mecrescunt* Pol. I.	*nigrescunt*	*nigrescunt* Pal. I, Goth.
I, 4, 22:	pareat *aura* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, Goth., alii.	*unda*	*unda* Pal. I, XXX.
I, 4, 25:	vos *parcite* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, Rottend.	vos *saltem*	vos *saltem* Pal. I, Goth., plurimi.

V, 1, 23:	*animos* ad Guelf., Pol. I, Med. I, Rottend. *animum* ad Vat. I.	*socios* ad	*socios* ad Pal. I, Goth.
V, 1, 63:	atque *exaestuat* intus Pol. I, alii. in Guelf. *ex* erasum est, ita tamen, ut dispici possit. atque *aestuat* intus. Vat. I, II.	(*atque* deest) *cor aestuat* intus	atque *cor aestuat* intus Pal. I, Goth., Bern. etc.
V, 1, 71:	ips*a* nec *emendo* Guelf., Vat. I, VI; Pal. II (*ipse*)	ips*e* nec *hec mando*	ips*e* nec *hoc mando* Pal. I, Goth. etc.
V, 2, 23:	quot amoen*os* *hostia* flores Guelf., Pal. II. quot amoen*os* *postia* Vat. I. quot *enos* *p'tia* Pol. I. q. *enos* *hostia* Rottend.	quot amoen*a* *rosaria* flores	quot amoen*a* *rosaria* flores Pal. I, Goth.
V, 2, 59:	*quia me* meruisse videba*m* Guelf. s. r., Vat. I, Pol. I, Pal. II.	*quoniam* meruisse videba*r*	*quoniam* meruisse videba*r* Pal. I, Goth. etc.
V, 2, 69:	finitim*a* m*o*rte Vat. I, Pol. I. quid Guelf. sub ras. habuerit dispici non potest.	finitim*o*-m*a*rte	finitim*o*-m*a*rte Pal. I, Goth., plurimi.
2 V, 2, 77:	*patimur* Guelf., Vat. I, VII.	*petimus*	*petimus* Pal. I etc.
V, 4, 23:	cari*or* Guelf. s. r., Vat. I, Pol. I, alii.	cari*us*	cari*us* Pal. I, Goth., plur.
V, 4, 40:	*e*maduisse Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II.	*de*maduisse	*de*maduisse Pal. I, Goth., rel.

	A	L^b	B
V, 5, 29:	*cohortos* Guelf., Goth. *cohortes* Vat. I, Pal. II.	*coortos*	*coortos* Pal. I, plur.
V, 5, 41:	haec *ergo* Guelf., Pal. II, Goth., alii.	haec *igitur*	haec *igitur* Pal. I, plur.
V, 6, 26:	*improba* verba Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, VIII.	verba *proterva*	verba *proterva* Pal. I, Goth., reliq.
V, 7, 20:	barbarus *omnis* Guelf. etc.	barbarus *hostis*	barbarus *hostis* Pal. I, Goth., XIII.
V, 9, 31:	inclusa *voluntas* Guelf., Vat. I, Pal. II.	inclusa *Thalia*	inclusa *Thalia* Pal. I, Goth.

Haec exempla etsi sufficiunt, unum tamen addere placet, quo solo totam quaestionem praecidere poteram:

V. I, 17/18: *Aptior huic Gallus blandique Propertius oris*
Et plures quorum nomina magna vigent.

L^b, Pal. I, Goth., reliqui;

Aptior, ingenium come, Tibullus erit Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, II ignoti.

L^b igitur ubique fere cum Pal. I, Goth. etc. congruat, dissentit a Guelf., Vat. I. etc. ut paucis dicam: **L^a familiae A,**
L^b familiae B annumerandus est.

III.

Quod si recte disputavi, fieri non potest, ut in recensendis Tristibus, id quod Riesius fecit, utraque Laurentiani parte promiscue utamur. Immo vero:

si L^a genuinam Ovidii manum servavit, interpolatus est L^b et qui eum sequuntur;

si L^b non interpolatus est, nulla fides habenda est L^a similibusque.

ducem primarium si sequimur L^a, Guelf. et Vat. I et qui illis similes sunt, fundamentum recensionis esse debent, ubicunque L^a deest.

ducem primarium si sequimur L^b, in reliquis Tristium partibus Pal. I, Goth., Hamburg. testes adhibendi sunt plane neglectis L^a, Vatic. I, Guelf.

Exsistit igitur quaestio, utri codicum familiae fidem habeamus, utri denegemus. quod haud ita difficile videtur esse ad diiudicandum, dummodo alterius familiae scripturas paulo diligentius ad alteram perpendamus. hoc tertio capite fiet ita, ut priore eius parte auctoritatem L^a, Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II probem, confirmem altera ne in eis quidem partibus, ubi L^a deest, ullam esse Pal. I, L^b, Goth. fidem demonstrando.

A.

Qua in re gaudeo, quod haud raro talibus locis uti possum, de quorum scriptura apud editores iam nulla dubitatio sit. hos, licet plerumque levissimi sint, vel potius, cum plerumque levissimi sint, etsi non omnes attamen satis magnum numerum primo loco appono.

a.

II, 511 sqq.

Haec (sc. mimos obscena iocantes) tu spectasti spectandaque saepe dedisti —
Maiestas adeo comis ubique tua est —
Luminibusque tuis, totus quibus utitur orbis,
Scenica vidisti lentus adulteria.

lentus L^a, Guelf., Pal. II, IV aut V alii — *laetus* Pal. I, Goth., reliqui. *laetus fere exprobrantis esse Augusto voluptatem e scenicis adulteriis captam* apte monet Burm. ad h. l. de *lenti* vocabuli vi et usu v. Loers. ad Ov. Heroid. XV, 169.

III, 1, 59 sq.

Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa dei.

tenore L[a], Guelf. etc. *timore* Pal. I, alii, quod unde natum sit docent vv. 53—56.

III, 3, 55 sqq.

Nunc, si forte potes — sed non potes, optima coniunx —
Finitis gaude tot mihi morte malis.

Quod potes, extenua forti mala corde ferendo . . .

quod L[a], Guelf., multi. *quam* Pal. I, Bern., alii. Loersius primus sententiam recte sic interpretatus est: *nunc, si forte potes, (sed non potes) gaude; quod (tamen) potes, extenua mala forti corde (ea) ferendo.*

II, 401:

Quid (loquor) Danaën Danaësque nurum matremque Lyaei?

Danaësque nurum Guelf., Vat. I, multi; *Danesque nurum* L[a], accedit Goth.; *Danaësque nurus* Pol. I, alii. — *Danaïque nurus* Pal. I cum plurimis.

Ultimam scripturam interpolatoris inscientiae imputare non dubito. Danaës nurus (sc. Andromeda, Persei uxor) quae esset ignoravit, cum Danaides, quinquaginta illae Danai filiae (has enim cogitavit), satis ei notae essent.

III, 6, 1 sq.

Foedus amicitiae nec vis, carissime, nostrae,
Nec, si forte velis, dissimulare potes.

nec vis L[a], Guelf., alii — *nobis* Pal. I, alii; *non vis* circiter XX. primum esse verum secundus versus docet.

II, 103 sq.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?

culpa L[a], Guelf., Goth., alii. — *causa* Pal. I, Franc., circiter X.

II, 117 sq.

Quo (ingenio) videar quamvis nimium iuveniliter usus,
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.

ab L[a], Guelf., similes. — *in* Pal. I, Bern., Goth, alii.

II, 357 sq.

Nec liber indicium est animi, sed honesta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta ferens.

ferens in paucis tantum libris deterioribus exstat aperta con-

iectura. proxime tamen accedit *feres* L[a], Guelf., Vat. I; *fores* Pol. II; *feret* Pol. I, duo. — *refert* Pal. I cum plurimis, ut videtur (certe cum Goth.); alii *damus, dabat, dedit, tuli.*

I, 7, 35:

Orba parente suo quicunque volumina tangis,
His saltem vestra detur in urbe locus!

tangis L[a], Guelf., etc. — *cernis* Pal. I cum multis.

I, 7, 37 sq.

Quoque magis faveas, non sunt haec edita ab ipso,
Sed quasi de domini funere rapta sui.

ipso L[a], Guelf., Goth., multi. — *illo* Pal. I etc.

I, 8, 37 sq.

Non ego te placida genitum reor urbe Quirini,
Urbe, meo quae iam non adeunda pede est . . .

urbe L[a], Guelf., Goth., plurimi. — *esse* Pal. I, Leid., alii.

III, 4, 13:

Haec ego si monitor monitus prius ipse fuissem . . .

haec L[a], Guelf., Pol. I, Franc., alii. — *his* Pal. I, Bern, multi.

Sed fortasse dixeris has esse interpolationes a librario eius codicis, ex quo Pal. I et qui eum sequuntur transscripti sunt, e via nulloque consilio factas. non repugno. at id saltem e magno — nam quae supra attuli exempla multis augere facillimum est — talium interpolationum numero discimus librarium codicis illius Pal. I archetypi ad arbitrium permulta mutasse.

b

Quae cum fuerint leviora et ab omnibus concessa, paulo graviores sunt et ab alio aliter tractati ii loci, quos statim allaturus sum.

II, 109 sq.

Illa nostra die, qua me malus abstulit error,
Parva quidem periit sed sine labe domus.

nostra L[a], Guelf., alii. — *namque* Pal. I, Goth., Franc., multi. *nostra „plane necessarium"* esse vidit Bentleius (Richard Bentleys briefwechsel. Rh. Mus. tom. VIII, 1853 p. 6).

II, 285 sq.

Cum quaedam spatientur in h o c, *ut amator eodem*
Conveniat, quare porticus ulla patet?

hoc L[a], Guelf., Pal. II. — *hac* reliqui.

hoc, quod a Merkelio, Riesio, Loersio repudiatum esse miror, Bentleio placuisse ex edit. Ovid. Oxoniens. tom. V (1826) discimus. cf. praeterea Madvigii[15]) adversaria critica, qui recte interpretatur e o c o n s i l i o l. Handii Tursell. III p. 391.

II, 289 sqq.

Cum steterit Iovis aede, Iovis succurret in aede,
Quam multas matres fecerit ille deus.
Proxima adoranti I u n o n i s *templa subibit,*
Pelicibus multis hanc doluisse deam.

Iunonis L[a], Guelf. etc, etiam Franc. et Goth. — *Iunonia* Pal. I cum uno alterove et veteribus editionibus. hoc Merkelio praeplacet. alterum *(Iunonis)* tamen genuinum esse docent vv. 289: *Iovis* aede, 295: magni *Martis* templum, 297: *Isidis* aede, quibus accedunt verba: *hanc doluisse deam*, quae haud leve genitivi testimonium esse vidit iterum Bentleius l. l. p. 8.

III, 4, 19 sq.

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi d e b i l i s *umbra suo.*

debilis L[a], Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, alii. — Pal. I cum plurimis *flebilis*. vid. Merkelii a. h. l, adnotationem.

IV, 3, 77/78:

Ars tua, Tiphy, iacet, si non sit in aequore fluctus;
Si valeant homines, ars tua, Phoebe, i a c e t.

iacet Guelf. a. pr. m. et qui eum sequuntur. L[a] Wilam. teste a pr. m. *uacet*, quod Bentleius utroque loco scribere voluit, a sec. m. *iacet;* Keilio teste *iacet.* — *uacat* Pal. I cum multis. *iacet* verum esse et prorsus e more Ovidiano Loersius intellexit, qui confert Art. am I, 191; Amor. I, 9, 1; Fast. II, 235; Remed. 385; Amor. III, 2, 27. cf. praeterea Her. V, 117 sq:

---

[15]) Madvigius coniecturas Bentlei in illa editione delitescentes videtur non novisse. cf. has Madvigii emendationes: Trist. I, 1, 112: *s i c q u o q u e* (cdd. *h i c q u o q u e*); II, 542: *i r r e v o c a t u s* (cdd. *irrequietus*); III, 5, 3: *n e c* (cdd. *n i*), quibus in emendationibus cum Bentleio congruat nulla eius mentione facta.

Graia iuvenca venit, quae te patriamque domumque
Perdat! io prohibe! Graia iuvenca venit.

Amor. I, 9, 1 sq.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido:
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Amor. III, 6, 61 sq.

Ilia, pone metus. tibi regia nostra patebit,
Teque colent amnes. Ilia, pone metus.

Fast. IV, 365 sq.

Qui bibit inde, furit. procul hinc discedite, quis est
Cura bonae mentis. qui bibit inde, furit.

Remed. 71 sq.

Naso legendus eram tum, cum didicistis amare.
Idem nunc nobis Naso legendus erit.

cf. Amor. I, 4, 13 sq. Amor. III, 2 43 sq. Art. am. II, 93—95. Art. am. III, 63 sq. Remed. 385 sq. Trist. III, 12, 13—16 etc.

IV, 4, 3 sq.

Cuius inest animo patrii candoris imago,
Non careat neruis candor ut iste suis.

neruis L[a], Guelf. s. r., alii. — *numeris* Pal. I, Goth., Bern., multi. hoc interpretatur Burmannus: „*ut sit perfectus ille candor*", illud Loersius: „*sic ut iste tuus candor sua ac propria vi atque vigore non careat*", quod verum esse patet.

c.

Aliud vitiorum genus inde natum est, ut explicationes aut in margine aut inter lineas adscriptae in textum reciperentur genuina voce remota. quod cum apud omnes scriptores tum saepissime hisce in carminibus accidit. nonnulla igitur afferam exempla, ut utra codicum familia talibus mendis magis, utra minus inquinata sit videamus; ab omnibus enim huiusmodi vitiis liberam esse neutram vix est quod moneam.

I, 7, 11 sqq. — *sed carmina maior imago*
Sunt mea, quae mando qualiacumque legas,
Carmina mutatas hominum dicentia formas, . .

dicentia L[a], Guelf. etc. — *narrantia* Pal. I, alius Heins., pr. ed. H. cf. Met. I, 1:

In nova fert animus mutatas dicere formas corpora.

Tr. II, 556. *dictaque sunt nobis — in facies corpora versa novas.*

I, 10, 33 sq.

Haec, precor, evincat, propulsaque fortibus austris
Transeat instabiles strenua Cyaneas ....

fortibus austris L[a], Guelf. s. ras., alii. — *flatibus austri* Pal. I, Goth., multi. hoc Merkelio in ed. Teubn., illud Riesio et Merkelio in ed. Reim. placuit. *flantibus*, quod Loersius recepit, nescio num in codicibus exstet. v. Loers., qui affert Amor. II, 11, 37 sq.

Vade memor nostri vento reditura secundo.
Impleat illa tuos fortior aura sinus.

II, 147:

Spes mihi magna subit, cum te, mitissime princeps,
Spes mihi, respicio cum mea facta, cadit.

princeps L[a], Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, alii. — *Caesar* Pal. I, Goth., Franc., Bern., reliqui. *Caesar* iam ab omnibus remotum est.

II, 335 sq.

Divitis ingenii est immania Caesaris acta
Condere, materia ne superetur opus.

condere L[a]., Guelf., Pal. II, alii, etiam Goth. — *scribere* Pal. I cum paucis.

III, 1, 63 sq.

Quaeque viri docto veteres cepere novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.

cepere L[a]., Guelf., Pol. I, Pal. II, Goth., multi. *fecere* Pal. I, alii. *cepere* editores inde a Gronovio, quod cur Merk. et Ries. in *coepere* mutaverint nescio. cf. ex Ponto II, 7, 16:

„*Pectore concipio nil nisi triste meo*“, quem locum Loers. laudat.

III, 3, 35.

Integer hanc potui nuper bene reddere lucem:
Exul ut occiderem, nunc mihi vita data est.

lucem L[a]., Vat. I, Leid.; in Guelf. a recentissima manu in rasura scriptum est *vitam*, sub quo quid fuerit etsi iam dispici non potest, vix tamen est quod dubitemus, quin pr. m. *lucem* scripserit. Pal. I cum reliquis omnibus *vitam* praebet, quod interpolatum esse inde quoque patet, quod in insequenti versu *vita* iterum exstat. *lux* eodem modo ab Ovidio usurpatum est Met. VI, 271 sq.

Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

Sil. 17, 473: *Regia cum lucem posuerunt membra.*[16])
IV, 2, 38 sq.

Perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
Squalida promissis qui tegit ora comis.

promissis L[a]., Vat. I, Franc., alii; *prolixis* Guelf. et Put. — *demissis* Pal. I, Goth., plurimi. *demissis* inde a Grutero ab editoribus in textum receptum est. defenditur tamen alterum (v. Heins. ad h. l.) Liv. l. XXXVIII, c. 17 (Gallorum) *procera corpora, promissae et rutilatae comae,* et si quis obiecerit agi hoc loco de specie tristis et lugentis: ad Liv. v. 85 sq.

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem
Squalida promissa flere per ora coma.

cf. praeterea I, 6, 5 *ruina* Guelf., L[a]., Goth., alii. — *carina* Pal. I. III, 1, 55. *Aspicis exsangui chartam pallere colore* L[a]., Guelf. etc. — *exiguo-cruore* Pal. I. IV, 1, 102 *rogos* L[a]., Guelf., Pal. II, Goth., alii. — *focos* Pal. I, reliqui. IV, 6, 7: *monitis* L[a]. (M[2] add.) Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, pauci. — *iussis* Pal. I, Goth., reliqui.

d.

Aliorum vitiorum haud parvus numerus e similibus aut verbis aut versibus in margine aut inter lineas adscriptis et postea in textum receptis ortus est. cf. e. g.
II, 303 sq.

Et procul a scripta solis meretricibus arte
Summovet ingenuas pagina prima manus.

---

[16]) Hunc locum mihi supped. Kiesslingius.

manus L^a^., Guelf., similes, Goth., alii. — *nurus* Pal. I, Bern., alii, quod e. v. 243 sq:

Non tamen idcirco legum contraria iussis
Sunt ea Romanas erudiuntque nurus . . .

fluxisse recte monet Loersius.

III, 3, 43 sq.

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?

labentes L^a^., Guelf., Pal. II, alii. — *languentes* Pal. I cum reliquis. cf. v. 39:

Nec mea consueto languescunt corpora lecto.

IV, 1, 79 sq.

Utque rapax pecudem, quae se non texit ovili,
Per sata, per silvas fertque trahitque lupus,
Sic — barbarus — hostis agit.

fertque trahitque L^a^., Guelf. etc. — *fertque refertque* Pal. I, Goth., alii. *fertque refertque* ab hoc loco prorsus alienum esse unusquisque videt, quod unde natum sit docent: Tr. I, 7, 5 sq.

Haec tibi dissimula, senti tamen, optime, dici,
In digito qui me fersque refersque tuo.

Tr. III, 8, 11 sq.

Stulte, quid haec frustra votis puerilibus optas,
Quae non ulla tibi fertque feretque dies?

ubi Pal. I, Guelf., Dresd., Bern., circiter XX *fertque refertque* praebent, id quod etiam e. Pont. IV, 1, 26:

Auxilium vitae fertque feretque meae

in plurimis codicibus exstat. cf. praet. Amor. III, 6, 18. Ep. Sapph. 117. Tr. II, 155.

IV, 3, 29 sq.

Nec cruciere minus, quam cum Thebana cruentum
Hectora Thessalico vidit ab axe rapi.

cruentum L^a^., Guelf., Pal. II, alii, etiam Goth. — *peremptum* Pal. I, Put., pauci, quod e Tr. III, 3, 67:

Non vetat hoc quisquam: fratrem Thebana peremptum
Supposuit tumulo rege vetante soror . . . huc fluxisse recte Loersius adnotat.

IV, 4, 51 sq.

Mitius exilium pauloque propinquius opto,
Quique sit a saevo longius hoste, locum.

propinquius L[a]., Guelf., Vat. I, Pol. I, Valii — *quietius* Pal. I, Goth., XXV. cf. II, 577:

Tutius exilium pauloque quietius opto.

e

Haud pauca praeterea inde nata sunt vitia, ut interpolator id, quod in codice suo corruptum invenisset, sine libris suoque usus arbitrio sanare studeret. cf. e. g. II, 403 sq.

Quid (loquor) generum Peliae? quid Thesea, quive Pelasgum
Iliacam tetigit de rate primus humum . . .

de rate Guelf., Leid.; *darete* L[a]. — *qui rate* Goth. cum plurimis, ut videtur; *qui pede* Pal. I cum paucis. *qui pede* e Tr. V, 14, 39 sq.

Ut vivat fama coniunx Phylaceia, cuius
Iliacam celeri vir pede pressit humum

fluxisse neque genuinam Ovidii manum praebere omnes consentiunt. satis igitur habeo Gothani et plurimorum, ut videtur, codicum scripturam ab omnibus editoribus probatam *qui rate* refellere. *qui rate* parum aptum esse iam Merk. (in ed. Reim.) sensit: *ista enim re, quod nave sua primus Protesilaus Troadem attigisset, infortunium eius parum accurate indicari.* rectius dixisset nihil omnino interesse, utrum primus an ultimus nave terram attigisset. quid re vera cavendum sit, e Laodamiae epistula ad Protesilaum data (v. 93 sqq.) discimus:

Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
Qui primus Danaum Troada tangat humum . . . . .,
Hoc quoque praemoneo: de nave novissimus exi . . .

quocum cf. Iliad. II, 701:

τὸν δ᾽ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ
Νηὸς ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν.

et Hygini fab. CIII „*ceteris cunctantibus Iolaus Iphicli et*

Diomedeae filius primus e navi prosilivit, qui ab Hectore confestim est interfectus. quem cuncti appellarunt Protesilaum, quoniam primus ex omnibus perierit." recte igitur sese habet *de rate*, quod in Guelf. exstat, quodque in L[a]. scriptura *(darete)* delitescere nemo non videt. Quod si recte disputavi, in superiore versu *quidve* in *quive* (L[a]. *quisve*) mutandum est, quod Merk. in ed. Reim. tentavit, in textum non recepit. minime autem necessaria est altera coniectura, quam eodem loco protulit: *Pelasgâ*. *Pelasgum* enim est genetivus ad *primus* spectans (*ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν*). de genetivo *Pelasgûm* cf. Heroid. 13, 92: *qui primus Danaûm;* Met. XIIII, 281: *Graiûm nurus;* Amor. III, 6, 32: *Phthiotûm;* Met. VII, 502: *Cecropidûm;* Tr. II, 261 et 262: *Aeneadûm*. Met. IV, 574: *deûm*, quod praeterea exstat Am. I, 13, 45; Met. II, 280, 686, 848; Tr. I, 5, 70; II, 37. Heroid. I, 55: *virûm*. Interpolatio ita nata est, ut corrector, cum *Pelasgum* pro accusativo haberet ideoque pronomen aliquod relativum desideraret, *qui* adderet, *de* removeret.

II, 491 sq.

Talia luduntur fumoso mense decembri,
Quae damno nulli composuisse fuit.

quae damno nulli comp. fuit Guelf., Vat. I, Pal. II, alii; *quedam non ulli* L[a]. — *quae iam non ulli comp. nocet* Pal. I cum reliquis. *iam nocet* interpretari non possum. nam cum poeta dicere velit alios permultos carmina scripsisse Arte sua multo nequitiora neque quemquam umquam esse punitum, sese autem, cum ea re deceptus laeta carmina condidisset, tristi poena affectum esse, tempus perfectum necessarium est, quod idem suadent vv. 495 et 496:

Denique nec video de tot scribentibus unum,
Quem sua perdiderit Musa; repertus ego.

Optima igitur est scriptura L[a]., Guelf., Vat. I etc.

quae damno nulli composuisse fuit.

interpolatio sic nata esse videtur, ut, cum *quae damno nulli* in *quae iam non ulli* (cf. L[a] scripturam *quaedam non ulli*) abisset, interpolator verba sensu cassa suo arbitrio corrigens

nocet, quod fortasse explicandi causa in margine aut inter lineas adscriptum erat, in textum induceret.

III, 1, 77.

D i , p r e c o r , atque adeo, neque enim mihi turba roganda est,
Caesar, ades voto, maxime dive, meo.

Hoc num in codicibus exstet, nescio. in Pal. I enim et Goth. et aliis *te precor* scriptum est, quod unde natum sit docet L[a]., Guelf., aliorum scriptura *de precor*, ex *di precor* sine ullo dubio orta.

IV, 3, 9 sqq.

Inque meam nitidos dominam convertite vultus,
Sitque memor nostri necne, referte mihi.
Ei mihi, c u r t i m e o? quae sunt manifesta requiro?
Cur labat ambiguo spes mihi mixta metu?

cur timeam L[a]. (*tim* M. *eam* add. M[2]) Guelf. sub ras. (?), Vat. I, Pal. II. — *timui* Pal. I, Goth., Franc., plurimi; *nimium* pauci deteriores. *nimium*, quod nescio quomodo scriptura *timui* defendi possit, omnino nullius momenti esse iam inde patet, quod in tribus tantum cdd. plane ignotis exstat, *timui* autem propter *labat* (v. 12) verum esse non potest. restat *timeam*, quod etsi Riesio placuit, sequenti tamen versu: *cur labat* . . . refutatur. genuinam Ovidii manum Buslidiani et Moretani librarii coniectura assecuti sunt: *cur timeo?* unde *timeam* (timeā) natum esse verisimillimum est, praesertim cum a et o in codicibus saepissime inter se confundantur.

cf. praeterea II, 229 sq.

Nunc te prole tua iuvenem Germania sentit,
Bellaque pro magno Caesare Caesar o b i t.

obit L[a]., Vat. I, Pal. II; *abet* Guelf; *habet* Goth. cum multis — *agit* Pal. I, Bern., multi.

I, 5, 61 sq.

Nos freta sideribus totis distantia mensos
S o r s (?) tulit in Geticos S a r m a t i c o s q u e sinus.

Sarmaticosque L[a]., Pal. II, alii; *Sarmatis ora* Guelf., Vat. I, Pol. I. — *Caesaris ira* Pal. I, Franc., Goth., Hamburg., plurimi.

sors tulit multi, quorum nomina Merk. non aff. *detulit* reliqui omnes. *Caesaris ira*, quod in Tristibus et Epp. ex Pont. XXI locis invenitur (I, 3, 80; II, 124; III, 8, 37; 11, 17 et 18; 11, 72; 13, 11; V, 1, 41 etc.), inde huc fluxisse et genuina Ovidii verba immutasse videtur. cf. etiam v. 78: *Iovis ira.*

I, 10, 33 sq.

Haec, precor, evincat, propulsaque fortibus austris
Transeat instabiles strenua Cyaneas.

propulsaque L[a]., Guelf. etc. etiam Goth. — *pulsataque* Pal. I cum aliis.

f

Gravissimos locos ultimo paragrapho reservavi.

Libri secundi initio Ovidius carmina sua exilii auctores accusat his verbis:

Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent
Omine non fausto femina virque meo.
Carmina fecerunt, ut me moresque notaret
Iam (?) demum visa Caesar ab arte mea.

iam demum visa Guelf., Vat. I, Pal. II; iam *demi iussa* L[a]. — *iam pridem invisa* Pal. I cum aliis; *iam pridem visa* Goth., Franc., Bern., Dresd., multi. utrum genuinum est? *pridem* an *demum? pridem*, ut videtur; *quomodo enim Augustum, qui tantus admirator poetarum erat, tantus amator nequitiarum, elegantissimam Nasonis artem amatoriam post X demum annos inspexisse credibile est?* (Loersius ad h. l.). Nemo sane hoc putabit. sed iam legas, quaeso, vv. 77 sqq.

Ah ferus et nobis crudelior omnibus hostis,
Delicias legit qui tibi cumque meas.
Esse sed irato quis te mihi posset amicus,
Vix tunc ipse mihi non inimicus eram.

Fingit igitur Ovidius tum demum carmina sua ab homine aliquo sibi inimico lecta esse Augusto eorum ignaro, cum odium eius iam suscepisset. Quod qua re finxerit, etsi pro certo affirmare non licet, suspicari tamen possumus Augustum ipsum, cuius cum ex reliquis tum ex hac ipsa epistula

maxime interfuisse videmus, ne quis cognosceret, quae sibi iniuria illata esset, Artem exilii causam fuisse gravissimam in volgus edidisse. suspicari praeterea possumus Augustum re vera poetae ob Artem vehementer succensuisse, quippe quae legibus suis aperte repugnaret et ad quam fortasse facinora a suis perpetrata magna ex parte referret. suspicari denique possumus Ovidium ea tantum de causa hoc invenisse, ut facultatem sibi pararet dicere principi, quae inde a. v. 211 legimus:

Altera pars superest, qua turpi carmine factus
Arguor obsceni doctor adulterii.
Fas ergo est aliqua caelestia pectora falli,
Et sunt notitia multa minora tua?
Utque deos coelumque simul sublime tuenti
Non uacat exiguis rebus adesse Iovi,
Ex te pendentem sic dum circumspicis orbem,
Effugiunt curas inferiora tuas?
Scilicet imperii, princeps, statione relicta
Imparibus legeres carmina facta modis?
Non ea te moles Romani nominis urget
Inque tuis humeris tam leve fertur onus,
Lusibus ut possis advertere numen ineptis
Excutiasque oculis otia nostra tuis.

— — — — — — —

Nec tibi contingunt quae gentibus otia praestas,
Bellaque cum multis irrequietus geris.
Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
Nunquam te nostros evoluisse iocos?
At si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses,
Nullam legisses crimen in Arte mea.

Ne nunc quidem igitur Augustus Artem satis cognitam habet. tum enim, cum ei legeretur, propter iniuriam recens ab Ovidio sibi illatam sano iudicio uti non potuit, postea autem non legit, quod si fecisset nullum in ea crimen inesse sciret. nihil igitur aliud Ovidius scribere potuit nisi *demum*. *pridem* unde natum sit, Loersii quae supra attuli verba docent. utrum denique *iam demum*, quod in codd. scriptum est, an,

quod Binsfeld, qui recte hunc locum interpretatur, coniecit *tum demum*, verum sit, non diiudico. *iam demum* apud nullum videtur inveniri scriptorem, nisi apud Quint. VIII, 2, 21.
II, 13 sqq.

Si saperem, doctas odissem iure sorores,
Numina cultori perniciosa suo.
At nunc, tanta meo comes est insania morbo,
Saxa malum refero rursus ad icta pedem.

malum L[a], Guelf. a. pr. m., Vat. I, Pol. I, Pal. II, alii; *laesum* Goth. et unus Vat.; *memor* Pal. I cum plerisque, *meum* — aperta interpolatio — Bern. cum X aliis et Guelf. a. m. rec. *memor*, etsi intellegi potest, supervacaneum est. quid necessarium sit e vv. sqq.

Scilicet ut victus repetit gladiator arenam,
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas

apparet, scil. adiectivum aliquod vel participium, quod verbis *victus* et *naufraga* respondeat. quaeritur igitur, utrum *malum* an *laesum* genuinum sit. quod quamquam e sola codd. auctoritate diiudicari potest, id tamen nemo negabit *laesum* magis redolere interpolationem quam *malum*. saxa illa, quae pede icta pedem vulneraverunt, carmina Ovidii amatoria sunt et maxime Ars. *saxa icta* si quis dubitet, quin sic possit usurpari, videat Met. XIV, 379:

Icta pedum motu trepidantem et multa gementem
Visa dedisse sonum est adapertaque ianua factum
Prodidit . . . .

II, 275 sqq.

Sic igitur carmen, recta si mente legatur,
Constabit nulli posse nocere meum.
At quoddam vitium quicunque hinc concipit (?), errat,
Et nimium scriptis arrogat ille meis.

arrogat L[a], Guelf. etc. — *abrogat* Pal. I cum plurimis; *derogat* Guelf. a. sec. m.; *detrahit* Bern. ultimas scripturas interpolationes esse ex interpretationibus natas vix est quod moneam. restant igitur *arrogat* et *abrogat*, quorum prius genuinum esse et interpretandum: *nimium tribuit meis scriptis, nimiam illa potestatem habere putat,* vidit Madvigius (advers.

critic. II p. 97), qui etiam totius distichi sine dubio corrupti sententiam recte intellexisse videtur: *non agi de vitio concipiendo sed de iudicio eius, qui vitium ex Ovidii libris originem habere putaret.* valde autem dubito, num genuinam v. 277 formam restituerit, quem sic scribendum esse censet:

Atque ortum vitium quicunque hinc concipit errat.

distichon mihi nondum videtur esse emendatum.

II, 371 sqq.

Ilias ipsa quid est aliud[17]*, nisi adultera, de qua*
Inter amatorem pugna virumque fuit?
Quid prius est illi flamma Briseidos, utque
Fecerit iratos rapta puella duces?

illi L^a, Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, Valii. — *illic* Pal. I, Goth., reliqui.

Briseidos L^a, Guelf., Pal. II, pauci. — *Criseidos* Goth.; *Chryseidos* Pal. I cum reliquis.

utque L^a, Guelf., Vat. I, Pal. II, Valii. — *aut quae* Pal. I, Goth., reliqui.

codices sibi constant, non constant editores, qui, cum *illi* et *utque* ex L^a, Guelf. etc. recipiant, *Briseidos*, quod in iisdem illis codicibus exstat, uno consensu reiiciunt. perperam. non enim interest, quid primo loco narratum sit, sed quae summa, quid argumentum totius carminis sit. argumentum autem Iliadis non est Agamemnonis in Chryseida, sed Achillis in Briseida amor, ira scil. de *rapta puella.* At *utque fecerit iratos rapta puella duces* idem significat! sane. Ovidius hoc distichon eodem modo composuit atque permulta alia: quod hexametro leviter tantum significavit, in pentametro plane aperteque dicit. cf. Tr. I, 1, 53 sq. *Donec eram sospes, tituli tangebar amore,*
Quaerendique mihi nominis ardor erat.

Art. II, 347; II, 219; I, 349; I, 33. ad totum Ovidii de Homero locum cf. Priapeiorum carm. LXVIII.

---

[17]) *Aliud* etsi invitus revocandum esse censeo, cum *turpis,* quod Heins. in textum recepit, omnino nullam auctoritatem habeat, et *turpis* ex Heroid. XIII v. 131:

Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?

fluxisse videatur. cf. Her. IV, 34: *peius adulterio turpis adulter obest.*

II, 459 sq.

Scit, cui latretur, cum (sic) solus obambulat, ipse
Cui (sic) toties clausas exscreet ante fores.

exscreet Guelf., pauci Itali (Merk.); *excret* L[a]. — *excubet* Goth., Bern., Franc., XX alii; *excubat* Pal. I, X alii. spectant hi vv. ad Tibull. I, 5, 73 sq:

Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus et ante ipsas exscreat usque fores.

quod ne quis in dubium vocet (cf. Merk.), totum et Ovidii et Tibulli locum appono. et Tibulli quidem vv. I, 6, 7—8:

Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est,
Sic etiam de me pernegat usque viro.

respondent Ovidii vv. II, 447 sq.

Credere iuranti durum putat esse Tibullus,
Sic etiam de se quod negat illa viro.

Tib. I, 6, 9—10:

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes. heu! heu! nunc premor arte mea!

Ov. II, 449 sq.

Fallere custodem demum docuisse fatetur,
Seque sua miserum nunc ait arte premi.

Tib. I, 6, 25—26:

Saepe velut gemmas eius signumque probarem,
Per causam memini me tetigisse manum.

Ov. II, 451 sq.

Saepe, velut gemmam dominae signumve probaret,
Per causam meminit se tetigisse manum.

Tib. I, 6, 19—20:

Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat et mensae ducat in orbe notas.

Ov. II, 453 sq.

Utque refert, digitis saepe est nutuque locutus,
Et tacitam mensae duxit in orbe notam.

Tib. I, 6, 13—14:

Tunc succos herbasque dedi, quibus livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

Ov. II, 455 sq.

Et quibus e succis abeat de corpore livor,
Impresso fieri qui solet ore, docet.

Tib. I, 6, 15—16:

At tu, fallacis coniunx incaute puellae,
Me quoque servato, peccet ut illa nihil.

Ov. II, 457 sq.

Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque uti servet, peccet ut illa minus.

Credisne, cum VI disticha e Tibullo sumpta sint, septimum eodem modo atque cetera Tibulli verba exprimens illuc non pertinere? denique *cui* non *cur* recipiendum esse, quod idem in L[a] et Guelf. exstat, indicasse satis est. veram huius loci interpretationem attulit Loersius.

III, 1, 39 sq.

Cur tamen apposita velatur ianua lauro,
Cingit et augustas arbor opaca comas?

comas L[a], Guelf., Goth. — *fores* Pal. I cum multis. *comas* cum a Merkelio ipso, acerrimo olim Pal. I defensore, strenue defendatur, id tantum addo *comas* non ita difficile esse ad intellegendum, ut Loersio videbatur, propter v. 36: *augurium menti querna corona dedit.* cf. praeterea eos Ovidii aliorumque locos, quos Merk. ad h. v. laud.

III, 2, 15 sq.

Dum tamen et terris dubius iactabar et undis,
Fallebat curas aegraque corda labor:
Ut via finita est . . . . nil nisi flere libet.

terris L[a], Guelf., Pal. II, multi; *ternis* Pol. I; *terra* III. — *ventis* Pal. I cum reliquis et vett. edd. recte Loersius intellexit hoc loco meliorem esse et genuinam scripturam *et terris,* cum duplex iter et terra et mari etiam v. 7 tetigisset poeta et hic locus ad illum respiceret. conf. IV, 8, 15 sq.:

— — — *qui me terraque marique*
Actum sarmaticis exposuere locis

et, qui optime Ovidium illustrat:

Verg. Aen. I, 3:

— — *multum ille et terris iactatus et undis.*

unde *uentis* in textum fluxerit si quis quaerit, videat locos a Loers. ad Heroid. II, 35 coll.

III, 4, 75 sq.

Et qua quisque potest, aliqua mala nostra levate,
Fidam proiecto neve negate manum.

qua quisque L[a], Guelf. etc. — *quam* Pal. I, Bern., multi. *aliqua* L[a], Guelf., Vat. I, Pal. I, Rottendorp., ex quo quod paucissimas tantum scripturas enotatas habemus, doleo. — *oro* Pal. I etc. utrum *qua* an *quam* genuinum sit, etsi e sola codicum auctoritate diiudicari potest, verisimillimum tamen est Ovidium scripsisse *qua;* interpolatores enim id, quod insolentius dictum est, explicare, non autem verbum minus usitatum pro magis usitato ponere solent. cf. Tr. I, 9, 65: *qua potes excusa* . . . ., ubi *qua* etiam a Pal. I, traditur; III, 14, 7 sq.:

Immo, ita fac, quaeso, vatum studiose novorum,
Quaque potes retine corpus in urbe meum,

ubi solus Bern. *quam* habet; III, 7, 51 etc. Facilius discerni potest, utrum *oro* an *aliqua* genuinam poetae manum praebeat. *oro* enim tam clarum, tam perspicuum est, ut nulla egeat explicatione. contra non est cur miremur *aliqua* ab antiquis librariis non esse intellectum, cum etiam nostrae aetatis viri docti id non intellexerint variisque vexarint coniecturis. nihilominus *aliqua* hoc modo usurpatum vereque Ovidianum esse docent loci ab Heinsio, Burmanno, aliis collati, velut ex Pont. II, 7, 35:

Adiuvat in duris aliqua praesentia rebus;

ex Pont. II, 8, 52: *Praesentis aliqua prosit habere deos;*
ex Pont. III, 4, 27: *Et regum vultus, certissima pignora mentis,*
Iuvissent aliqua forsitan illud opus.

patet igitur non *aliqua* sed *oro*[18]) ab interpolatore in textum inductum esse.

I, 9, 11 sqq.:

Utque comes radios per solis euntibus umbra est,

---

[18]) Fortasse fuit antea explicatio ad illustrandam verborum structuram inter lineas adscripta. certe in Guelf. talia saepius inveniuntur velut *dico*, *dicit poeta*, *poeta orat*, *precor*, alia.

Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit,
Mobile sic sequitur fortunae lumina vulgus,
Quae simul inducta n o c t e *teguntur, abit.*

nocte L[a] (add. M[2]?), Guelf., Pol. I, Pal. II, alii. — *nube* Pal. I cum plurimis, non autem (v. Ries.) L[a].

II, 149 sq.

Ac veluti ventis agitantibus a ë r a *non est*
Aequalis rabies continuusque furor, . .

aëra L[a] *(aere)*, Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, multi, etiam Goth. et Franc. — *aequora* Pal. I cum reliquis.

IV, 2, 43.

Crinibus en etiam fertur Germania p a s s i s.

passis L[a], Guelf. etc. — *sparsis* Pal. I cum reliquis. eadem scripturarum variatio exstat Tr. I, 1, 12; I, 3, 43; Fast. I, 6, 45 etc.

En sexaginta fere locos ex altera Tristium parte sumptos, quibus id mihi videor effecisse, quod volui: u t f i d e m f a m i l i a e A c o m p r o b a r e m, f r a u d e m f a m i l i a e B d e t e g e r e m.

Quas si iustis causis demonstravi, ea quoque, quam initio huius capitis proposui, quaestio: u t r u m L a u r e n t i a n o[a] an L[b] f i d e s h a b e n d a s i t, soluta est:

L[a], quippe qui cum Guelf. etc. faciat, in optimorum codicum numero referendus est,

L[b], Palatini I ceterorumque assecla, omnino contemnendus.

B.

Ex quo quamquam satis certum est Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II etiam in altera illa parte, in qua vetus ille cod. L quaternio desit, recensionis tamquam fundamentum esse debere, e re tamen videtur esse pauca addere exempla ad confirmandum, ut puto, apta.

Iterum, ut in priore huius capitis parte, a levissimis et ab omnibus concessis ordior.

a.

I, 1, 5:

Nec te purpureo velent vaccinia fuco.

fuco Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II. — *succo* Pal. I, L^b. consentiunt omnes.

I, 3, 35:

Et quamquam sero clipeum post vulnera sumo,

vulnera Guelf. etc., etiam Goth. — *funera* Pal. I, L^b, pauci.

IV, 8, 21 sq.

Miles ut emeritis non est satis utilis annis,
Ponit ad antiquos quae tulit arma, Lares.

annis Guelf., Pal. II, XIII. — *armis* L^b, Pal. I etc. v. Loers. ad h. l.

V, 5, 55:

Cum Pelia genitae tot sint, cur nobilis una est?

nobilis una est Guelf. etc., etiam Pal. I. — *cognita nobis* L^b, Goth., plurimi.

b.

I, 1, 17 sq.

Si quis, ut in populo, nostri non immemor illi,
Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit:

illi in paucis tantum deterioribus codd. exstat; *illo* Bern., Dresdens., alii. quid Vat. I, Pal. II, Pol. I habeant, nescio. — *exstat* L^b, Pal. I, Goth., alii, etiam Guelf., sed a recentissima manu in rasura, sub qua quid fuerit dispici non potest.

I, 1, 57:

Tu tamen i pro me, tu, cui licet, aspice Romam

tu tamen i Guelf., Pol. I, Pal. II, pauci. — *i tamen et* L^b, Goth., plurimi. prius genuinum esse vidit Bentl. (Ovidii op. Oxon. 1826. tom. V.)

I, 1, 105 sq.

Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigerisque tuam, scrinia curva, domum,

curva Guelf., Vat. I, pauci. — *parva* L^b, Pal. I, Goth., reliqui.

I, 2, 109 sq.

Non casu vos sed sub condicione vocati,
Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

casu vos sed Guelf. etc. — *casu sed vos* Pal. I, Goth., alii; *casus sed vos* L[b], alii.

I, 4, 21 sq.

Desinat in vetitas quaeso contendere terras,
Et mecum magno pareat aura deo.

aura Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, alii, etiam Goth. — *unda* L[b], Pal. I, plurimi.

c. d.

I, 2, 15:

Terribilisque notus iactat mea dicta

dicta Guelf., Pol. I, pauci. — *verba* L[b] cum reliquis.

I, 2, 92:

Ausonios fines cur mea vela volunt?

volunt Guelf., Pal. II, pauci. — *videt* L[b]; *vident* fortasse Pal. I; *colunt, iuvant, petunt, tenent, vovent* alii.

IV, 9, 29 sq.

Circus adhuc cessat; spargit tamen torvus arenam
Taurus, et infesto iam pede pulsat humum.

torvus Guelf., Vat. I, Pal. II, pauci. — *acer* reliqui.

IV, 9, 31:

Hoc quoque, quam volui, plus est. cane, Musa, receptus

receptus Guelf., Vat. I, Pal. II, pauci. — *recessus* Pal. I, Goth. etc.; *regressus* L[b]. consentiunt omnes.

V, 3, 7 sq.

Quem nunc suppositum stellis Cynosuridos Ursae
Iuncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.

Cynosuridos Guelf. etc. — *Erymantidos* plurimi; *Erimādos* L[b]. Erymantidos ursae I, 4, 1; I, 11, 15; III, 4, 47 exstat, unde in hunc locum irrepsit. *Cynosuridos ursae,* licet nullo praeterea loco apud Ovidium legatur, vere tamen Ovidianum esse docet Fast. III, 107:

Esse duas arctos, quarum C y n o s u r a petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet.

e.

I, 1, 89 sq.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, a e q u o r e i s nomina fecit a q u i s.

sic Goth. a pr. m. et cd. Voss.; *aequoreas nomine* f. *aquas* Vat. I, Pcl. I, Pal. II, Guelf. s. r., in qua nunc exstat *Icareas.* — *Icareas nomine fecit aquas* L[b], Bern., multi, etiam Pal. I, ut videtur. *Icariis* ex *Icarus* natum esse patet; quod si verum est, *aequoreas* — *aquas* in *aequoreis* — *aquis* mutandum est, id quod Gothani librarius coniectura recte assecutus est.

V, 4, 23 sq.

Te tamen, — o si quid credis mihi, c a r i o r i l l i
Omnibus, — in toto pectore semper habet.

carior ille Vat. I, Pol. I, alii; Guelf. s. r. — *carius ille* reliqui. hoc Merk. et Ries. interpretantur: „ille te carius omnibus in toto pectore semper habet", quod molestissimum esse unusquisque sentit. multo melior altera scriptura est *(carior)*, dummodo cum Leidensi et aliis, id quod Bentleius et Loersius coniecerunt, *illi* scribamus.

V, 5, 32:

Guelf., Put., VI ignoti Ovidii verba etsi corrupta accuratius tamen quam omnes reliqui codices tradunt:

Consilium fugiunt cetera pene t u u m.

L[b], Pal. I, reliqui *meum,* desperantis alicuius librarii, qui ex ea corruptela, quam in Guelf. videmus, sensum quemcunque elicere studebat, inventum praebent. quid genuinum sit, viderunt Claudius Civilis et Bentleius:

Consilio fugiunt aethera, Ponte, tuum,

quam coniecturam et qui sequuntur vv. et qui antecedunt mihi videntur probare. et *consilio* quidem sequenti versu firmatur, cuius initio *consilio* cum vi iteratur; reliqua vv. 39 sq:

Omnia nunc credo, cum tu non stultus ab arcto
Terga vapor dederis, Ausoniamque petas.

cf. praeterea vv. 29 sq.

V, 7, 21:

Certum Palatini I suorumque fraudis testimonium hoc versu nobis servatum est. traditur enim in Pal. I:

Vivit in his Naso, tenerorum lusor amorum,

optimus sane versus, nisi vitium inesset metricum (Nasō enim ab usu Ovidiano plane abhorret, quod recte Merk. ad h. l. adnotat) et alteram eius partem aliunde in hunc locum inductam esse e vv.

III, 3, 73: *hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum;*
IV, 10, 1: *ille ego qui fuerim tenerorum lusor amorum;*
V, 1, 22: *pharetrati lusor amoris* pateret.

idem tres ignoti codices praebent, et levi errore addito Goth., in quo scriptum est:

Vivit in his Naso tantorum lusor amorum.

etiam scripturam L^b:

Vivit in his tenerorum lusor amorum

ex eodem fonte fluxisse satis mihi videtur constare propter ultima verba, licet *Naso* in eo non inveniatur, quod socordia librarii praetermissum esse patet. eademque causa obstat, ne aliter iudices de Bernensi aliisque, qui praebent:

vivit in his igitur tenerorum lusor amorum.

Iam ad alteram familiam transeo. ac primum quidem in Guelf. exstat:

vivit in his heu nullus eorum oblitus amorum,

scriptura aperte corrupta. *nullus oblitus* enim, etsi in familiari sermone pro *non oblitus* dici potest, minime tamen poeticum est et e more Ovidiano. praeterea versus ille etiam caesuris legitimis caret. caesura enim *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, quae vocatur, ab Ovidio ubique [19]) cum trithemimere et penthemimere coniungitur. qua re etiam Segueriani a Merkelio in textum recepta scriptura:

vivit in his heu Naso suorum oblitus amorum

[19]) Pauci illi, qui contra hanc legem pugnare videntur, loci (v. Eschenburg, metrische untersuchungen über die echtheit der Heroides des Ovid. Lübeck 1874 p. 12) natura sua id, quod supra dixi, confirmant.

genuina esse non potest. reliquorum huius familiae codicum scripturae hae sunt:

Vat. I: *v. in illis nullus eorum oblitus amorum;*

Pol. I: *v. in his heu nullus oblitus amorum;*

aliorum aliae. vera iam ab Aldinae II editore reperta esse videtur:

vivit in his heu non vestrorum oblitus amorum,

ex quo in communi omnium codicum archetypo *nullus eorum* legentis vitio exstitit, quod Guelf. librarius accurate transscripsit, cum interpolator *tenerorum lusor amorum,* cuius vestigia fortasse in *nullus eorum* sibi invenire videbatur, in textum inducto verba sensu cassa ita, ut supra vidimus, corrigere studeret.

IV, 10, 23 sqq.

Motus eram dictis, totoque Helicone relicto
Scribere temptabam verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod temptabam scribere, versus erat.

sic Guelf. cum paucis; L[b] *conabar scribere — conabar dicere;* Pal. I *conabar scribere — temptabam scribere* etc.

Solam Guelf. scripturam vere Ovidianam esse docent vv. Tr. III, 12, 13—16; ex Pont. II, 35—36; Fast. V, 263 -65; VI, 16—17; Rem. 318—20; 800—802; Tr. I, 2, 20—22; Fast. IV, 484—86 etc.

f.

In priore huius capitis parte in hac littera graviores aliquot locos tractavi, ut, utra codicum familia fide dignior esset, ostenderem. quod cum dubitationem iam non habeat, magis in rem esse duco demonstrare, quid recta illa librorum aestimatione lucremur. elegi igitur primum libri V carmen, quo in carmine omnes versus tractabo, in quibus gravius aliquod inter codices discrimen est.

V, 1, 7 sq.

Integer et laetus laeta et iuvenilia lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget.

hoc Merkelius e Guelf., qui solus e praestantioribus hanc

scripturam praebet, in textum recepit. contra Pal. I solus, ut videtur, habet: *iuvenilia carmina lusi*, apertam interpretationem ad *laeta et iuvenilia* adscriptam. Goth. denique, Bern., Hamb., L^b, alii: *laeta et iuvenilia scripsi* praebent, quod idem esse glossam nemo non videt. ludere eodem modo atque hic iterum usurpatur in v. 22; II, 537; V, 1, 43:

Nec tamen ut lusi rursus mea littera ludet.

V, 1, 16:

Delicias si quis lascivaque carmina quaerit,
Praemoneo, non est, scripta quod ista legat.

non est coniec. Bentl. — *nostra* Vat. I, Pal. II; fortasse etiam Guelf. s. r., in qua nunc *nunquam;* L^b, Pal. I, Goth. etc. *nunquam,* quod Merk. in ed. Reim. refutatis ceterorum editorum inventis interpretatur *nunquam, quod praemoneo, scripta ista legat,* id quod fieri non posse mox ipse intellexit. neque tamen melior est coniectura, quam in ed. Teubn. protulit: *praemoneo, nunquam scripta modesta legat;* neque magis, ut mihi quidem videtur, sententiarum nexui satisfacit, quod Riesio placuit: *praemoneo, nunquam tristia scripta legat.* uterque enim ista (sc. ista mea carmina) eliminavit, quod nullo pacto deesse potest, si quidem Ovidium recte intellexi: sua scripta nec laeta esse nec lasciva; itaque, si quis talia legere vellet, legeret Galli, Propertii, Tibulli libros, deponeret suos. iam unum illud reliquum est, ut non *quod ista,* sed *nunquam* corruptum esse confiteamur, id quod etiam scripturae variatio suadet, cum *ista* in omnibus codicibus, qui quidem alicuius momenti sunt, traditum sit. in Vat. I enim scriptum est: *praemoneo nunquam nostra quod ista legat,* in Pal. II: *praemoneo nostra scripta quod ista legat,* in quibus quid lateret Bentl. vidit, cuius praeclaram coniecturam: *praemoneo: non est, scripta quod ista legat* a nullo, ne a Riesio quidem, qui in commentario critico, qui vocatur, eam apponit, in textum receptum esse miror. *nostra* (aut fortasse *non est*) etiam in Guelf. fuisse verisimillimum est, etiamsi nunc in improbissima rasura *nunquam* exstat.

V, 1, 17 sq.

Aptior huic Gallus blandique Propertius oris
Et plures, quorum nomina magna vigent.

sic in Pal. I, L^b, Goth., Hamb., ceteris fere omnibus scriptum est, cum in Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, duobus ignotis

aptior, ingenium come, Tibullus erit

exstet. de „*ingenium come*". v. Heins. ad h. l. nequaquam absurdam esse Guelf. scripturam etiam Merk. fatetur; nihilominus eam reiicit Pal. I auctoritate motus. quam cum iam nullam esse viderimus, nihil obstat, quominus hunc versum, quem graviorem et Ovidio digniorem esse nemo negavit, in textum recipiamus, licet, codicum fidei si nihil tribuimus, eum genuinum esse certis argumentis demonstrari nequeat. accedit, quod videmus, quid interpolatorem moverit, ut novum adderet versum: cum poeta pergat: *Atque utinam numero nos non essemus in illo,* quaesivit interpolator, quod Merkelius *miratur posteriores non quaesivisse: rectene diceretur Ovidius trium illorum numero inesse, essentne tres numerus dicendi.*

V, 1, 23 sq.

Quod superest animos ad publica carmina flexi,
Et memores iussi nominis esse mei (vel *sui*).

animos Guelf., Pol. I, Med. I, Rottend.; *animum* Vat. I — *socios* L^b, Pal. I, Goth., Hamb., reliqui.

sui Guelf., Pol. I, Med. I, Put. — *mei* L^b, Pal. I, Goth., Hamb., reliqui, etiam Guelf. cum vel.

Sententiarum nexus hic est: adde hunc libellum quattuor praemissis, nam hic quoque talis est, qualis fortuna mea: donec integer et laetus eram, laeta et iuvenilia lusi, nunc piget me talia scripsisse. poenas enim dedi, „*Scythicique in finibus Istri Ille pharetrati lusor amoris abest.*" iam sequuntur vv. illi, quos supra attuli, quique in L^b, Pal. I etc. sic scripti sunt:

Quod superest socios ad publica carmina flexi,
Et memores iussi nominis esse mei.

hoc Merk. in ed. Reim. sic interpretatur: *in posterum effeci, ut poetae mei casus memores publica scriberent.* quod etsi Riesio probatum esse video, duae potissimum causae obstant,

ne adstipuler. valde enim dubito, num *quod superest „in posterum“* esse possit, cum omnibus, quantum equidem video, locis, etiam in eo versu, quem Merk. affert (V, 5, 17), sit d u m v i v a m (— es, — et etc.), q u a n t u m m i h i (tibi etc.) s u p e r e r i t v i t a e. praeterea autem futurorum poetarum mentio ab hoc loco alienissima est (v. *flexi*), quod etiam Merk. sensisse inde colligo, quod *socios* postea removit et *animos*, Guelferbytani scripturam, in textum recepit.

Sed ne sic quidem Ovidium scripsisse mihi persuasum est. nam, licet *publica carmina* possit explicari aut ut Loersio placuit: *quae ab omnibus legi possunt (lasciva enim non omnibus licet legere, certe non omnibus scripta sunt)*, aut ut scholiastae codicis Reland.: *quae sunt de publica materia* (Merk. de Fastorum in exilio retractatione cogitabat), quid est: *animos iussi memores esse nominis mei?* aliter enim ac *gloriae meae* vix posse intellegi *nominis mei* persuasum habeo.

Sententiarum nexum recte perspexisse videtur Bentleius, qui coniecit: *quod superest animos ad t r i s t i a carmina flexi;* sed, cum reliqua intacta reliquerit, iterum quaero, quid sit *animos meos iussi memores esse nominis s u i* (sic enim in ed. Burm. legitur, cuius in margine emendationes suas adscripsit Bentl.) ? suspicor igitur non in *publica*, sed in *nominis* vitium inesse Ovidiumque scripsisse *temporis* vel simile quid. *tempus* hoc modo usurpatur V, 12, 34 sq.

Carmina scripta mihi sunt nulla, aut qualia cernis,
Digna sui domini t e m p o r e, digna loco.

Met. IV, 693 sq.; Tr. I, 1, 4 etc.
V, 1, 63 sq.

Strangulat inclusus dolor atque e x a e s t u a t intus.
Cogitur et vires multiplicare suas.

exaestuat Guelf. (*ex* erasum est, ita tamen, ut optime dispici possit), Pol. I; *atque aestuat* Vat. I. — *cor aestuat* Pal. I, Goth., alii; *cor exstuat* L^b. e pentametro elucet *cordi* hic locum non esse. *coaestuat* autem, Rothmaleri coniectura, quam Riesius in textum recepit, apud veteres scriptores omnino non exstat, neque opus est coniectura, cum *exaestuat* opti-

mum sensum praebeat. cf. etiam Met. VI, 623, ubi Procne *tacita exaestuat ira.*

V, 1, 65 sqq.

Da veniam potius, vel totos tolle libellos,
Si, mihi quod prodest, hoc tibi, lector, obest.
Sed neque obesse potest, ulli nec scripta fuerunt
Nostra nisi auctori perniciosa suo.
At mala sunt. fateor. quis te mala sumere cogit,
Aut quis deceptum ponere sumpta vetat?
Ipse nec hoc mando; sed ut hic deducta legantur;
Non sunt illa suo barbariora loco.

Poeta non illepide, sic interpretatur Merk. hunc locum, *dicit se non id mandare, ut liber suus abiiciatur, sed hoc, ut cum excusatione perlegatur.*" hoc non intellego. mihi enim verba illa: *ipse nec hoc mando* et *sed ut hic deducta legantur* aperte inter se pugnare videntur. in altera enim eiusdem versus parte mandat poeta, quod se non mandare in altera dixit. talia Ovidio imputari posse nego. denuo igitur nequissimam Pal. I (in Pal. I enim, Goth., Hamb., L[b] *(hec)* haec scriptura exstat) interpolationem deteximus ex iis, quae antecedunt, extricatam, sequentibus aperte repugnantem. Guelf., Vat. I, Pal. II *(ipse)*, VI ignoti praebent *ipsa nec emendo,* quod Heinsio placuit, quodque genuinum esse non audeo praefracte negare, etsi sententiarum nexus etiam sic non omni labe vacat. certe enim vv. sqq.

— — — *ut hic deducta legantur;*
Non sunt illa suo barbariora loco.
Nec me Roma debet suis conferre poetis:
Inter Sauromatas ingeniosus ero.
Denique nulla mihi captatur gloria, quaeque
Ingenio stimulos subdere fama solet ....

emendandi verbum comprobant, simillimique sunt loci a Burmanno collati velut ex Pont. I, 5, 12 sqq.

Non venit ad duros Musa vocata Getas.
Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum,
Sed non fit fato mollior ille meo.

Cum relego, scripsisse pudet, qui plurima cerno
Me quoque, qui feci, iudice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic quam scribere maior . . .
neque tamen res mihi videtur iam esse absoluta.

Hi sunt omnes huius carminis versus, in quibus gravius aliquod inter codices discrimen est, et ubique in Guelf. et in iis codicibus, qui eiusdem familiae sunt, aut genuinam Ovidii manum, aut saltem corruptelam, ex qua verum si non semper, attamen plerumque elicere potuimus, in Pal. I, L^b etc. scripturam primo quidem obtutu satis bonam, re vera falsam et interpolatam invenimus.

Duos ad extremum addo locos, quos primus mihi videor in integrum restituisse.

II, 409 in omnibus, quae quidem mihi praesto sunt, editionibus sic legitur:

Est et in obscenos deflexa tragoedia risus,

et sic in Pal. I, Goth. etc. exstat. contra in Vat. I scriptum est *commissa,* in Guelf. et Pal. II *commixta,* in L^a in rasura *c̃mista* (= *commista*), quod interpolatum esse non potest, cum omni sensu vacet. quaeritur igitur, unde *commissa* natum sit. ex *demissa,* ut videtur. *demissa* enim et *commissa* per compendium scripta *(d'missa — c̃missa)* tam similia sunt, ut facillime inter se confundi possint. praeterea aptissimum est *se demittere* vel potius *demitti:* descendere ad aliquid faciundum, quod ceteroquin inferius sit facultate aut dignitate (Forcell.) cf. Tacit. Annal. l. XV, 73: *at in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis, Iunium Gallionem . . . . increpuit Salienus Clemens* etc.

II, 419 sq.

Suntque ea doctorum monumentis tecta virorum,
Muneribusque ducum publica facta patent.

sic legendum esse censeo v. 419. simillimum enim est, quod in Vat. I, Guelf., Pal. II, Comb. exstat: *texta. saxa* autem, quod L^a praebet, librarii huius codicis coniecturam esse persuasum habeo (cf. p. 5 sq.). Palatini I denique ceterorumque scripturam *mixta* interpretationem esse patet. cf. Verg. Aen. XI, 11—12:

Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantis.

Stat. Silv. V, 1, 25: *licet omnis pariter matertera vatem*
Omnis Apollineum tegeret Bacchique sacerdos.

Haec exempla sufficiant.

Iterum igitur videmus **iis tantum codicibus, quos familiae A annumeravimus, fidem habendam esse, eorum autem librorum, qui cum Pal. I faciant, auctoritatem esse nullam.**

IV.

De codicibus Laurentiano[a] similibus.

In iis, quae supra disputavi, testes attuli L[a], Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, tamquam si nullum inter eos discrimen interesset, et meo quidem iure. neque tamen in his quoque codicibus scripturarum satis magnam variationem esse nego. quod quid in recensendis hisce carminibus valeat, priusquam diligentius exponam, de codd. Guelferbytano, Vat. I, Pal. II pauca mihi disserenda sunt.

Ac codicis quidem Guelferbytani, inter Gudianos n. 192, membranacei, oblongae formae, quinquaginta foliorum, saec. XIII scripti, a Schweigero ante hos quadraginta annos excussi, collationem accuratissime factam a Kiesslingio, praeceptore venerando, accepi. in Italia scriptum esse hunc librum cum litterae tum explicatio quaedam ad *serta* (I, 7, 2) adscripta: *ghirlanda* probat. librarius in hoc codice exarando summa diligentia usus est, neque tamen omni vitio caret, quin etiam toti versus omissi sunt (I, 1, 80; I, 2, 20—1; III, 12, 15—16; IV, 1, 73—6), quos secunda manus, quae haud scio an eadem sit ac prima, supplevit, excepto uno (III, 12, 16) a manu quadam recentissima in margine adscripto.

Praeterea a secunda (aut prima) manu explicationes adscriptae sunt maximam, puto, partem e codice archetypo sumptae, velut ea, quam ad II, 415 attuli.

Accedit tertia manus antiqua, quae cum rarissime tantum aliquid immutaverit, omnino nullius momenti est.

Quod utinam de reliquis dicere possem! impudentissime enim recentiores manus quinque vel sex in codice grassatae sunt, et ita quidem, ut antiquis litteris diligentissime erasis alias scripturas inferrent, quae, cum e codicibus Pal. I et Goth. simillimis sumptae sint, plane abiiciendae sunt. Quae manus, etsi a prima plerumque facillime discerni possunt, saepius tamen Schweigero fraudem fecerunt, qui et in reliquis non ea, qua debuit, diligentia usus est.[20])

Vaticanus deinde primus membranaceus est, formae octonariae, saec. XIII, n. 1606 insignitus, nihil nisi Tristia continens, satis bene scriptus, neque rasuris neque a recentioribus manibus saepius foedatus. integra huius codicis collatio nondum exstat.

Palatinus denique secundus chartaceus est, a. 1476 scriptus, n. 910 insignitus, qui praeter Tristia, quae foliis 149—205 comprehenduntur, Artem amatoriam, Remedia amoris, pseudoovidiana, Medicamina faciei, Ibim, Amores, Tibullum, Propertium, Catullum continet.

Haec omnia, quae de codd. Vat. I et Pal. II attuli, Mau, vir doctus, officiosissime mecum communicavit, cui ex animi sententia hoc loco gratias ago.

Restat censura horum librorum; de codice enim Pol. I iis, quae Merk. in praef. ed. Reim. attulit, nihil addere possum.

Et statim videmus L^a et omnium optimum esse et a reliquis suae familiae codicibus segre-

[20]) Exempla afferam pauca, sed quae ad Guelferbytani censuram utilia esse censeam.

I, 1, 17: Guelf. Schweigero teste praebet cum Pal. I: *immemor exstat.* sane! sed a recentissima quadam manu supr. r. scriptum, cum antea, quod e reliquis codicibus patet, illi in codice fuerit.

I, 2, 15: Schw. teste: *mea verba precesque*, re vera: *mea dicta;* sed superscriptum est a manu rec. *l'*(= vel) *verba.*

III, 4, 8: *potius*, quod Schw. teste deest, exstat a prima m. scriptum.

IV, 1, 19: Schw. teste: *lira levat*, in codice: *musa levat.*

IV 3, 29: Schw. teste: *Thebana peremptum*, re vera *cruentum.*

IV, 3, 55: Schw. sub rasura invenit: *ubi est illud quo ni fugis illa referre.* nihil tamen erasum est nisi *illud*, cuius in locum *quo te* inductum est; reliqua verba: *nisi non vis illa referri* nulla foedata sunt rasura.

gandum! quod ut probem, priore loco versus quosdam afferam, quorum genuinam formam La etsi saepe corruptam solus servavit, altero reliquos, in quibus aliam scripturam ac Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II praebet, addam.

A.

I, 9, 1 solus La praebet:

Detur inoffenso vitae tibi tangere metam,

reliqui: *inoffensae.*

I, 9, 5 solus La:

Donec eris sospes (rel. felix), multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

cf. Tr. I, 1, 53: *Donec eram sospes, tituli tangebar amore,* cui praecedit:

Non ita se nobis praebet fortuna secundam,
Ut tibi sit ratio laudis habenda tuae.

I, 11, 31:

Barbara pars laeva est, avidae substrata rapinae.

sic in cod. La cum l'(= vel), in Pal. I etc. legimus; in aliis: *substructa, subtracta, substrata, subiecta, summissa, instructa, succincta, intenta* etc. in La exstat a pr. m. *adethera penne,* litterae foedissime corruptae, in quibus quid lateat, Hauptii coniectura palmaria (Hauptii opusc. III, 642 [21]): *avidaeque*

[21]) Alterum tamen locum V, 8, 11:

Vidi ego naufragiumque viros et in aequore mergi

non recte mihi videtur sic emendasse:

Vidi ego naufragium qui risit in aequore mergi,

eandem ob causam, ob quam Merkelii horrificas sane coniecturas:

Vidi ego naufragium qui rasit (vel rosit) . . . .

probare non possum: quia sententiarum nexui non plane satisfacere videtur. Quid flagitetur Gothani quoddam glossema docet: *vidi submergentes homines mergi cum illis, quos submergebant.* itaque recipiendam esse censeo eam, quam Merk. in ed. Reim. attulit, coniecturam etsi leviter immutatam:

Vidi ego navifragum qui mersit in aequora mergi.

aequora in cod. Guelf., Pal. II, tribus aliis exstat et firmatur Met. III, 390; 428; XI, 557; Fast. II, 88 etc. cf. vv. antecedentes:

Exiget, ah! dignas ultrix Rhamnusia poenas,
Imposito calcas quod mea fata pede.

adsueta rapinae docet, quam scripturae L[a] prorsus ignarus fecit.

II, 69 solus L[a] praebet:

fama Iovi superest,

quod coniectura assecutus Bentleius (ad Petr. Burmannum. Mus. Rh. VIII p. 6) interpretatur: *satis et abunde ei famae est, non indiget fama, laudari tamen gaudet,* et affert Ter. Phorm. I, 2, 19: *cui tanta erat res et supererat.* in reliquis cdd. scriptum est *Iovis.*

II, 135 sqq:

Adde quod edictum, quamvis immite minaxque,
Attamen in poenae nomine lene fuit:
Quippe relegatus, non exsul, dicor in illo,
Privaque fortunae sunt ibi verba meae.

privaque cum a Merk. et Ries. in textum receptum sit, nihil addo. in reliquis tamen apud Merkelium Pal. I auctoritas tanta fuit, ut non quod in L[a] *(sint ibi),* Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II *sunt ibi,* sed quod in Pal. I exstat: *sunt data* probaret.

II, 145:

Heinsii coniectura, quam probat Bentleius: *usque* firmatur L[a], in quo exstat *utque.* ex qua corruptela reliquorum codicum *atque* natum esse patet.

II, 567:

Solus L[a] praebet id, quod Merkelius iam antea coniecit:

Inter tot populi tot scriptis milia nostri,
Quem mea Calliope laeserit unus ego.

proxime accedit Guelf. scriptura:

Inter tot populi tot scripti milia nostri.

contra longissime abest Pal. I: *tot scriptaque* . . .

III, 5, 38—40.

Quod Heins. coniecit:

Quae ducis Emathii fuerit clementia Poros
Dareique docent funeris exsequiae

in L[a] exstat; reliqui cdd., quos quidem afferre attinet, *praeclarique* habent.

IV, 1, 65 sq.

Utque nec insidias capitisque pericula narrem
Vera quidem, veri sed graviora fide —

haec Franzii coniectura ab omnibus probata Wilamowitzio teste codice L^a firmatur. *vera* reliqui.

B.

Restat, ut eos locos addam, in quibus L^a longius a reliquorum suae familiae codicum scripturis recedit.

53 I, 5, 55: L^a:

Si vox infragilis pectus mihi firmius heret,

quod in aere immutandum esse et per se patet et Guelf. m. s. demonstrat *aere* scribendo. simile est, quod in Pal. I et rell. exstat:

Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset.

Contra, quod Vat. I, Pal. II, Pol. I praebent:

Si vox in fragili mihi pectore firmior esset,

interpolatio est verbis male disiunctis orta. idem fortasse in Guelf. erat, sed nihil affirmo; utriusque enim scripturae vestigia insunt, neque tamen utra a prima manu scripta sit, utra a secunda, dispici potest, cum bis quod scriptum fuerat, erasum sit.

I, 8, 37 sqq.

Non ego te placida genitum reor urbe Quirini,
Urbe, meo quae iam non adeunda pede est,
Sed scopulis, Ponti quos haec habet ora sinistri,
Inque feris Scythiae Sarmaticisque iugis.
Et tua sunt silices circum praecordia venae,
Et rigidum ferri semina pectus habet.

sic L^a (nam *neue* nihil aliud esse nisi *vene* non est, quod demonstrem) cum plurimis; Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II *nati* pro *venae* habent, quod genuinum esse non potest.

I, 9, 43 sq.

Sive aliquod morum seu vitae labe carentis
Est pretium, nemo pluris emendus erit.

emendus L^a, Pal. I, reliqui. — *habendus* Guelf., Vat. I, Pal. II. de Pol. I apud Merk. nihil inveni. *habendus* interpretationem esse patet.

I, 9, 49 sq.

Haec mihi non ovium fibrae tonitrusve sinistri
Linguave servatae pennave dixit avis.

tonitrusve L[a], Pal. I, plurimi. *sonitusve* Guelf., Pol. I, Pal. II. in Vat. I quid legatur nescio.
I, 9, 51 sq.

Augurium ratio est et coniectura futuri;
Hac divinavi notitiamque tuli.
Quae quoniam v e r a e s t, tota mihi mente tibique
Gratulor . . . . . sic L[a], Goth., alii. —

quae quoniam r a t a t o t a Vat. I, Pal. II. *rata est tota* Pol. I et Guelf. (*est* in r.), quod, cum *a* in *rata* breve sit, genuinum esse non potest. Pal. I denique lacunam etiamsi ad metrum recte, ad sensum tamen minus apte explet *rata sint.* restat v e r a, quod verum esse docet v. 52:

Hac divinavi n o t i t i a m q u e tuli.

I, 11, 37 sq.

Non haec in nostris, ut quondam, s c r i b i m u s hortis,
Nec consuete meum lectule corpus habes.

sic recte L[a] cum aliquot ignotis. — Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II cum Pal. I, Goth., aliis *scripsimus.*

II, 77 L[a] solus praebet:

Ah! ferus et nobis c r u d e l i o r o m n i b u s hostis,
Delicias legit qui tibi cunque meas.

reliqui omnes: *nimium crudelior*, excepto Pal. II, in quo *nimium crudeliter* scriptum est, quod, etsi editoribus placebat, valde dubito, num satis latine dictum sit.

II, 89 in L[a] et X ignotis scriptum est:

At memini vitamque m e a m moresque probabas.

cum Guelf., Vat. I, Pal. II cum Pal. I, Goth., multis *mei* habent, quod vitiosum esse liquet.

II, 126 sq.

Cuius in eventu poenae clementia tanta est,
V e n e r i t u t nostro lenior illa metu.

venerit ut L[a], Leid., quod probat Bentl. (ad Petr. Burm. Mus. Rh. VIII p. 6). reliqui cdd., etiam Guelf., Pol. I, Pal. II *ut fuerit* habent.

II, 167 L[a] cum Pal. I et aliis:

U t f a c i u n t q u e tui, sidus iuvenile, nepotes,
Per tua perque tui (vel sui) facta parentis eant.

Guelf., Vat. I, Pol. I cum Goth. et multis: *ut faciantque.*
II, 239 sq.

At si, quod mallem, vacuum fortasse fuisset,
Nullum legisses crimen in arte mea.

sic L[a]. proxime accedit Pal. I: *vacuum fortasse fuisses.* in Guelf. autem, in Vat. I, Pol. I, Pal. II legitur: *vacuum tibi forte fuisset;* longius recedit Goth. *vacuum tibi tempus adesset.*

III, 1, 47 sq.

Causa superpositae scripto testata coronae
Servatos cives indicat huius ope.

testata Guelf., Pol. I, Pal. II, pauci. — *testante* L[a], Pal. I, XXIV alii, vett. edd. *testata* videtur esse genuinum. cf. ex Pont. III, 1, 93:

Nota tua est probitas testataque tempus in omne.

ex Pont. IV, 7, 53: — — *testataque tempus in omne*
Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.

Met. II, 472 sq. etc.

III, 3, 43 sq.

Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?

condet L[a], Pal. I, alii. — *claudet* Guelf., Pol. I, Pal. II, fortasse etiam Vat. I.

III, 3, 71 sq.

Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore caede notis.

sic recte Guelf. cum plurimis. L[a] cum Hamb. et alio: *in tituli,* quod e v. 77 huc fluxisse videtur.

IV, 3, 19 sq. L[a] cum paucis:

Vultibus illa tuis tamquam praesentis inhaeret,
Teque remota procul, si modo vivit, amat.

reliqui, qui quidem satis noti sunt, *praesentibus haeret,* quod latinum esse non credo.

IV, 4, 28: L[a] cum Pal. I et aliis:

Hoc certe noli dissimulare, pater.

Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II *noli certe,* quod, cum *certe* ad *hoc,* non ad *noli* pertineat, probari nequit.

IV, 5, 19: L[a] cum multis:

Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura deo.

Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II *dum venit a* e correctione non intellecta ortum. cf. praet. IV, 2, 60; IV, 6, 13; III, 3, 81, ubi L[a] *semper*, quod sine dubio genuinum est, praeter Leid. solus praebere videtur.

His locis, licet paucissimi sint, id tamen mihi videor evicisse archetypum Laurentiani[a] non eundem fuisse atque Guelferbytani, Vat. I, Pol. I, Pal. II. praeterea autem videmus paucos illos versus, in quibus L[a] a reliquorum cdd. scriptura longius recedat, fere omnes in uno carmine inesse, in nona primi libri elègia. neque tamen est, cur obstupescamus, cum hoc carmen in omnibus libris aeque foedatum ad nos pervenerit, ex quo codicem archetypum hoc loco valde mutilatum ideoque varie interpolatum fuisse patet.

Sed non satis est L[a] a reliquis suae familiae codicibus segregari: etiam Guelferbytani, Vat. I, Pol. I, Pal. II ratio non eadem est. et ita quidem hi libri mihi videntur esse discernendi, ut alteri factioni Guelf. et Vat. I, alteri Pol. I et Pal. II annumeremus.

Guelf. enim et Vat. I rarissime tantum, quantum equidem video, et inter se et a L[a] dissentiunt, cum Pol. I et Pal. II longius ab illo recedant et saepissime — recentiores enim sunt — Pal. I scripturis inquinati sint.

Pluribus hoc demonstrare non attinet, cum integra Vat. I collatio desit.

Extremum illud sit, ut inquiramus, quid adiumenti aut detrimenti correctores illi iam saepius laudati nobis attulerint.

Et vetustior quidem corrector[22]) XXVI versus a pr. m. omissos addidit, versus fere totos velut I, 5, 41 *(causa)*

---

22) mihi est M².

mea est melior, qui non contraria fovi, aut hemistichia aut singula verba vel in rasura vel in spatio relicto multo plura. ad summam Wilamowitzio teste, si recte numeravi, 234 locis aliquid aut addidit aut immutavit.

Itaque necessarium est quaerere, quonam ex fonte corrector has mutationes hauserit.

Quas si cum Guelferbytano comparamus, XXIV tantum ab illo dissentire videmus easque maximam partem esse levissimas velut I, 9, 56, ubi Guelf. recte *expediit,* L^a m *expedit* praebet, M^2 *e* ita addit, ut *expediet* exstet.

Graviora haec sunt:

I, 5, 35 L^a m cum Guelf. recte *laesis.* M^2 superscr. *labsis,* quod in deterioribus quibusdam cdd. exstat et cum *lassis* (Pal. I etc.) comparari debet. *labsis* videtur esse varia scriptura, quas saepius in codice archetypo exstitisse statim videbimus.

I, 11, 15: *arimantidos* Guelf. L^a M^2 in rasura *atlantidos,* quod explicare nequeo.

IV, 4, 62: L^a M^2 cum Leidensi, IV Heinsianis, vett. edd. *sideris igne;* — Guelf. *frigoris axe;* alii *sideris axe.*

IV, 6, 13: Guelf. *terras scindentis.* — Pal. I *terram findentis.* L^a m *terra semoventis,* quod M^2 in *terram renovantis* mutavit. eadem scriptura in Mediceo I paucisque aliis exstat. *semoventis* et *removentis,* quod in Leidensi legimus, apertum est corrupta esse ex *renovantis,* quod genuinum esse verisimillimum est. cf. e. g. Fast. I, 159:

Tum patitur cultus ager et renovatur aratro.

Tr. V, 12, 23: *Fertilis assiduo si non renovatur aratro,*

Amor. I, 3, 9; Met. I, 110; XV, 125. neque tamen etiam *findere* sic usurpari nego. cf. Amor. III, 8, 41; Tr. I, 8, 3.

Haec omnia sunt, quae a Guelf. et qui eum sequuntur, dissentiunt. quae enim restant velut II, 89, ubi Guelf. *mei,* L^a m. recte *meam,* corr. *suam,* quod insulsum est, praebet; II, 403, ubi Guelf. recte *Calui,* idem L^a m, corr. *Cilui;* IV, 3, 13, ubi Guelf., L^a m *vereri,* corr. *tueri,* quod e *tuta vereri* ortum esse opinor, valde dubium est utrum a secunda an a tertia manu scripta sint.

Nihil igitur impedit, quominus correctorem M^2 ex eodem codice hausisse censeamus ac librarium m. Accedunt alia.

I) Videmus enim librum istum, quo M^2 usus est, litteris nondum segregatis scriptum fuisse. cf.

I, 10, 40: M^2 *miletidas hos perat urbem* pro *Miletida sospes ad urbem.*

II, 167: M^2 *tuis idus* = *tui sidus.*

II, 397: m. *electrae tegẽtẽ,* M^2: *electrãe tegẽtẽ* pro *Electram et egentem.*

III, 4, 47: m. *eri manidos;* M^2: *eri ma ⁿidos;* m^3: *erimantidos.*

II, 390: *materiam* prò *mater Ityn,* quod in codice archetypo scriptum fuisse opinor *maτeriτī. τī* quam facile cum ā confundi potuerit, unusqùisque videt.

II) Quod si verum est, ex eodem hoc exemplo etiam id mihi videtur effici, librum istum litteris minusculis scriptum fuisse.

III) Codicem et alias et maxime in finibus versuum corruptum fuisse discimus e. g. e. v. IV, 2, 24, ubi M^2 *Terribiles aliis immemoresque* addidit, *sui* omisit; II, 339, ubi M^2 (sec. R. m^3) *leve rursus opus iuvenalia carm* supplevit, *veni* reliquit.

IV) Denique si librarium M^2 latini sermonis aeque ignarum videmus ac librarium m. — cf. quos supra attuli locos et, si Riesio fides habenda est, II, 565: M^2 *a stabulis suffusus vellere fugi* pro *a salibus suffusis velle refugi* — haud temeraria mihi videtur esse opinio 'librarium m. eundem esse atque M^2, praesertim cum litterarum ductus tam similes sint, ut plerumque distingui non possint, iisdemque temporibus eos vixisse certum sit. neque tamen pro certo hoc affirmaverim. id autem mihi videor probasse M^2 ex eodem fonte hausisse atque m.

Tertia manus Wilamowitzio teste eadem est atque quae codicem L^b scripsit. supersedeo igitur aliquid addere, praesertim cum quae immutavit plerumque levissima sint.

Haud raro denique scripturae cum l' (quod vel signif.) aut inter lineas aut in margine adscriptae sunt. nihilominus cavendum est, ne hanc ob rem omnes varias lecti-

ones esse censeamus. plurimae enim emendationes sunt velut I, 6, 1, ubi L[a] m. *tamen*, m aut M[2] *l' tantum*, quod sententia postulat, praebet; aut I, 6, 6, quem versum in codice L[a] sic scriptum invenimus:

l' sum l' omne tui est
Siquis adhuc ego muneris esse tui;

aut I, 9, 48, ubi m *gaudia sentit avis*, m aut M[2] cum l' *grandis amice tuas* praebet.

Neque tamen varias scripturas cum hoc signo adscriptas esse nego. cf. e. g. II, 160, ubi L[a] m cum Guelf. *amor* habet, praeterea autem l' *honor* adscriptum est, quod etiam in Pal. I, Pal. II, Leid., XVI aliis legitur; IV, 1, 86, ubi Guelf. et L[a] m *longa*, m cum l' *lenta* (sic etiam Pal. I et Dresd.) praebent; I, 12, 31, ubi a pr. m. scriptum est:

Barbara pars laeva est avidae adethera penne

ad quod additum est *l' substrata rapinae*, quod etiam in Guelf. (nunc enim in nequissima rasura *subiecta*, ut videtur, inest) fuisse verisimile est, cum Pal. II, Vat. I *(subtracta)*, multi alii idem praebeant.

Neque est, quod miremur in codice archetypo varias fuisse scripturas, cum in omnibus, etiam in Guelf., talia inveniamus, quae, cum a pr. m. scripta sint, iam in fonte huius codicis fuisse patet. pauca exempla sufficiant, e quibus quomodo discrimen illud inter Guelf. et L[a] exstiterit, discas: exstat igitur in Guelf. II, 156:

Per superos igitur, qui dant tibi longa dabuntque
Tempora, Romanum si modo nomen habent amant.

V, 1, 23: *Quod superest animos ad publica carmina flexi,*
Et memores iussi nominis esse sui l'mei.

V, 5, 45: *Nata pudicitia est mores probitasque fidesque,*
At non sunt ista gaudia nata ista die l'fide.

Iam unum restat, quod scire cupimus: quonam tempore recensio illa, quae in Pal. I etc. nobis tradita est, facta sit. quod etsi non affirmaverim me in-

vestigasse, vestigia tamen mihi videor invenisse, quae publici iuris facere in rem esse duco.

Et primum quidem permagnus eorum vitiorum numerus, quae in omnibus codicibus exstant, quaeque ab homine latini sermonis non satis gnari facta esse patet, codicem archetypum recenti tempore scriptum esse docet, id quod etiam vitia metrica, velut V, 1, 23 Nasō, mihi demonstrare videntur.

Accedunt litterarum permutationes, e quibus videtur elucere, codicem archetypum litteris minusculis scriptum fuisse. quod si verum est, recensio illa saec. VIII vel IX nata est. cf. III, 5, 40: *Dareique docent funeris exsequiae,* ubi omnes codices excepto uno L[a] *praeclarique* praebent, quod ita videtur esse ortum, ut primum d et cl, quae saepissime in codd. confundi omnibus notum est, confunderentur, deinde *clareique,* quod latinum non est, in *clarique* immutato, ne syllaba deesset, *prae* adderetur.

cf. praeterea I, 10, 21, ubi *contra* et *terra* (c̄ra — t̄ra);
I, 10, 42, ubi *contulit* et *detulit* (c̃t̄ulit — d'rulit);
V, 1, 16, ubi *non est* et *nostra* (nōē — nrā);
III, 4, 20, ubi *debilis* et *flebilis;*
II, 161, ubi *impleat* et *compleat* (īpleat — c̄pleat);
I, 1, 5, ubi *succo* et *fuco;*
II, 109, ubi *namque* et *nostra* inter se confunduntur, quod codicem archetypum litteris maiusculis scriptum fuisse si statuis, nescio quomodo satis explicare possis.

Summa igitur totius disputatiunculae haec est:

I) Codex L e duabus partibus diversissimi generis constat, quarum

A) altera (L[a]) simillima est Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II (famil. A),
dissentit a Pal. I, Goth. etc. (fam. B);

B) altera (L[b]) dissimillima est Guelf., Vat. I, Pol. I, Pal. II, (fam. A),
consentit cum Pal. I, Goth. etc. (fam. B).

II) Solis L[a] similibusque fides habenda est. itaque in

A) iis Tristium partibus, quae in L^a servatae sunt, L^a recensionis fundamentum esse debet,

qui ubi vitiosus est, Guelferbytani et Vat I. maxima est auctoritas;

B) ubicunque L^a deest, Guelferbytanum et Vaticanum I sequi debemus, qui si certam interpolationis suspicionem movent, Politianus I et Pal. II, et, si etiam hi idem vitium praebent, Gothanus testis adhibendus est.

Palatini I autem omnino nulla auctoritas est, etiamsi omnes ceteri scripturam sine ullo dubio interpolatam praebent.

Vita.

Franciscus Fridericus Guilelmus Tank natus sum Stargardiae a. d. XI Kal. Apriles a. h. s. LVI patre Guilelmo, matre Adolphina e gentę Braun. fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis Altenhagen, in vico prope Demmin sito, et Stettini in ludo litterario Ottoniano imbutus ann. XIII et dimidium nat. in gymnasium Mariae receptus sum, quod tum Heydemanni v. ill. auspiciis florebat.

Maturitatis testimonio instructus inde a vere a. LXXV Gryphiswaldiae litterarum studiis operam dedi. tribus semestribus peractis Berolinum me contuli, unde, studia ut conficerem, auctumno a. LXXVII Gryphiswaldiam redii.

Scholas adii vv. doct. Hilleri, Hirschii, Hoeferi, Kiesslingii, Preuneri, Schuppii, Susemihli, Vogtii, de Wilamowitz-Moellendorfii, Wilmannsii; Kirchhoffii, Müllenhoffii, Treui, Vahleni, Zelleri.

Seminariorum sodalis fui ordinarius: philologici Kiesslingio et de Wilamowitzio moderantibus, historici moderante Hirschio, germanistici moderante Reifferscheidio. excercitationibus praeterea theodiscis a Wilmannsio et Vogtio, archaeologicis a Preunero, sanscriticis et anglosaxonicis a Hoefero institutis interfui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis, imprimis autem Susemihlio, Kiesslingio, de Wilamowitzio gratias et ago et semper habebo quam maximas.

Sententiae controversae.

I. Aeschyl. Agam. v. 547 (Herm.):

τὸ μήποτ' αὖϑις μηδ' ἀναστῆναι μέλειν

spurium esse censeo. reliqua sic distinguenda sunt:

τί ταῦτα πενϑεῖν δεῖ; παροίχεται πόνος·
παροίχεται δὴ (Rauchenst. *δὲ* cdd.) *τοῖσι μὲν τεϑνηκόσιν —*
τί τοὺς ἀναλωϑέντας ἐν ψήφῳ λέγειν,
τὸν ζῶντα δ' ἀλγεῖν χρὴ τύχης παλιγκότου;
καὶ πολλὰ χαίρειν συμφοραῖς καταξιῶ —
ἡμῖν δὲ τοῖς λοιποῖσιν ....

II. Aeschyl. Sept. 276 (H.). — Revocandum esse censeo *πάντρομος* (Herm., Weil., Dind., Keck. *πάντροφος*), quod in codice M a pr. m. scriptum est.

III. Solem et Apollinem iam apud poetas V. a. Chr. n. saeculi hic illic tamquam in unum corpus coaluisse demonstrari potest.

IV. Ovid. Tr. II, vv. 111—114:

Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut aevo
Clara, nec ullius nobilitate minor,
Et neque divitiis nec paupertate notanda,
Unde sit in neutrum conspiciendus eques.

spurii sunt.

V. Tibull. II, 5. Primi huius carminis vv., quos a nullo minimeque a Vahleno recte explicatos esse iudico, sic interpretandi sunt: Phoebe fave! novus sacerdos tua templa ingreditur, itaque cum cithara carminibusque veniens vocales impelle pollice chordas et ad tuas laudes verba mea flecte. sc. orat poeta, ut Apollo divino sese (poetam) spiritu impleat, ne indigne suas (Apollinis, non Augusti aut Messalae) laudes cantet. totum enim carmen imploratio est Apollinis, ut Mes alinum ad sacra sua admittat doceatque recte intellegere libros Sibyllinos.

VI. Wernerum de Elmendorf eorum, quos affert, scriptorum maximam partem legisse neque excerptis tantum usum esse certis argumentis demonstrari potest.

48, 46, 47

41-42 55-58 . 59

4

32
36
29

